

del Colegio de la Compañia de Jesus Granada *Ba*

IOANNIS YAÑEZ *P. 470*  
Parladorij Iurisperiti in Re-

gio Vallisoletano Prætorio Aduocati, Re-  
rū quotidianarum liber singularis siue vnus.

Opus tum acutum & elegans, tum vtile

et Iuris studiosis in primis profi-

cium; nuncq; primūm

in lucem edi-

tum.





VALLISOLETI.

Apud Didacum Ferdinandium  
à Corduba.

Typographum Regium.

Anno. 1579.

Cum priuilegio.



del Colegio de la Compañia de Jesus Granada B<sup>a</sup>

IOANNIS YAÑEZ **P29470**  
Parladorij Iurisperiti in Re-

gio Vallisoletano Prætorio Aduocati, Re-  
rū quotidianarum liber singularis siue vnus.

Opus tum acutum & elegans, tum vtile

et Iuris studiosis in primis profi-

cuum; nuncq; primūm

in lucem edi-

tum.





VALLISOLETI.

Apud Didacum Ferdinandium  
à Corduba.

Typographum Regium.

Anno. 1579.

Cum priuilegio.



Autoris protestatio.

**H**AEC, quæq; vnquam scripserimus, dixerimus  
ue, atq; adeò cogitauerimus, catholicæ ac sacro  
sanctę Romanę Ecclesię calculo correctioniq; spõ  
te libenterque submittimus. Fidẽ enim illam, quam  
Deo (ipsius beneficio maximo) in sacro Baptismate  
dedimus, professiq; sumus, hæreticorũ hæreses om  
nes atque infanias diris carminibus execrâtes, nun  
quam prodituros, sed sanctam & inuiolatam in per  
petuum seruaturus, & ad ipsos vsq; cineres pro aris  
& focus (vt aiunt) propugnaturus: terque quaterque  
testamur.

**Y**O Iuan Gallo de Andrada Secretario del Consejo de  
su Magestad doy fee, que los señores del auiedo vi  
sto el libro hecho por el licenciado Yañez de Parla  
doyro intitulado, Rerum quotidianarum: le tassaron en  
dos reales y medio en papel, y en este precio le dieron li  
cencia para lo poder vender, con que primero que se vé  
da, se pongã en el dicho libro las erratas, y esta taxa al prin  
cipio del. Y para que, della conste, lo firme de mi nombre,  
en Madrid à diez y siete dias del mes de Junio del año, mil  
y quinientos y setenta y tres.

Iuan Gallo  
de Andrada.



**O**N Philippe, por la gracia de  
Dios Rey de Castilla, de Leon, de  
Aragon, de las dos Sicilias, de Hier  
usalẽm, de Nauarra, de Grana  
da, de Toledo, de Valencia, de  
Galizia, de Mallorcas, de Seui  
lla, de Cerdeña, de Cordoua, de  
Corcega, de Murcia, de Iuen, de los Algarues, de Al  
gezira, de Gibraltar, Duque de Milan, Cõde de Flã  
des y de Tirol. &c. Por quanto por parte de vos el li  
cenciado Yañez de Parladoyro, nos fue fecha rela  
cion diziẽdo, que vos queriades imprimir vn libro,  
que auia des compuesto, intitulado Rerum quotidia  
narum, que era obra muy vtil y prouechosa. A tento  
lo qual, y lo mucho que en el auia des trabajado, nos  
suplicastes os diessẽmos licẽcia y facultad para que  
lo pudierdes imprimir y véder, o como la nuestra  
merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro con  
sejo; y como en el dicho libro se hizierõ las diligen  
cias q̃ la pragmática por nos agora nueuamente he  
cha dispone: fue acordado q̃ deuiamos mãdar dar è  
sta nuestra carta en la dicha razon, y nos tuuimos lo  
por biẽ. Por la qual vos damos licẽcia y facultad pa  
ra q̃ por esta vez vos el dicho licenciado Yañez de Par  
ladoyro, o quien ṽo poder para ello ouiere, podays  
imprimir el dicho libro sin que por ello cayays ni in  
currays en pena alguna. Y mandamos que despues  
de impresso no se pueda vender ni véda sin que pri  
mero se traya al nuestro consejo juntamente con  
el original que fue visto, q̃ va rubricado y firmado  
de Iuan Gallo de Andrada nuestro escriuano de ca  
mara de los q̃ residen en el nuestro cõsejo, para q̃ la  
dicha impressiõ se vea si esta cõforme a el, y se de li

encia para lo poder véder, y se tasse el precio a que se ouiere de vender cada pliego del. Sopena de caer & incurrir en las penas contenidas en la dicha pragmática y leyes de nuestros reynos, y mas de la nuestra merced, y de diez mil maravedis para la nuestra camara. Dada en Madrid a veynte y ocho dias del mes de Septiembre de mil y quinientos y setenta años.

D. Car. Segunti.

El licenciado El licenciado

Atiença. Iuan Thomas.

El licenciado con El doctor El doctor Francis  
Antonio de Padilla. Redin. co de Villafañez.

Yo Iuan Gallo de Andrada escriuano de camara de su Magestad la fize escriuir por su mādado, cō acuerdo de los del su Consejo.

Registrada. Iorge de Olaal de Vergara.

Por chanciller Iorge de Olaal de Vergara.

Andreas Gomezius de Arze Pontificij Iuris Bacca  
laureus ad studiosum lectorem.

**H**Actenus abtrecuit referans pia lura Mitorum  
turba, duce insignitum caret illa suo.  
Ast imitata pattem, serpens ceu vere cadenti,  
attollit gaudens iam caput è tenebris.  
Auream nam Hesperijs præfulgent sæcula nostris  
Rege, sub hoc tanto, Præfide & egregio.  
Ergo alios inter tot Parladorius, alto  
ingenio varias (crede) recludit opes.  
Vnde frequens rerum pulchrè dignoscitur vsus,  
quas Forus admittit, Causidiciq; notant.  
Indica non tanti fiet tibi gemma valoris,  
quanti si paruo quæ damus ære legas.

Liber lectorem carmine alloquitur.

**M**E primum foetû, experimentaq; prima parëtis  
A Equæ fronte legas, lector amice precor.  
Perlege quodcunq; est, quid nam legisse nocebit?  
Forfitan hîc aliquid, quod iuuet, esse potest.  
Sum paruus sanè; at maiores pondere vinco:  
Sic auri filiquæ cedit & æris onus.  
Vt maria, ac terras, atque omne, quod extat in orbe  
Monstrare breuiter picta tabella solet:  
Sic etiam paucis his chartis indico quanti  
Auctoris dotes, ingenium, arsq; valent.  
A Etatis septem vix lustra peregerat autor,  
Atq; tamen vincit dogmata docta senum.  
Hîc ars dicendi, Iurisq; peritia certant:  
Ambiguum satis est, vltra aliam superet.  
Me Momus visit, Veneri qui neq; pepercit:  
Obstupuit cernens cuncta carere nota.

Bibliopolæ ad emptorem hexastichon.

Mercari dubitas? non cernis lumine claro  
Quàm vili pretio commoda quanta pares?  
Plusve minus quatuor numis Regalibus iste  
Constabit: paruo grandia sapè licent.  
Atq; hæc quotquot sint, cū scœnore credere credas:  
Hic tibi nam semper multiplicata dabit.

ILLVSTRISSIMO,

IVXTA QVE AMPLISSIMO

VIRO D. Didaco Couarruuias à Leyua Segobienfi Episcopo, summoq; magni Philippi Hispaniarum Regis Senatu Præfecto,

Ioânes Yañez Parladorius

Iurisperitus

S. P. D.



**I**N O N tua nota esset omnibus cum virtus, tum humanitas: verendum mihi esset (Præsul illustissime, Præfecteque amplissime) ne dum tuam ipse inire gratiâ studeo, inuidiam mihi ex diuerso conflarem: qui te nullo omnino nomine, nullaque omnino ex parte demeritû ausus fuerim opusculi nostri patronum deligere: quique nihilum doctus ab eruditissimo, humilis ab eminentissimo, obscurus auctor à nobilissimo memoratissimoq; suppetias opte. Verùm audacia hæc nostra (pater ornatissime) non inhonestas omnino cõsilijsui causas habet. Etenim cum sis ipse Iurisprudetiæ columè, cum sis Iuris peritorû specimen, sis deniq; omnium bonarû literarum decus & ornamentum: cui quæso ingenij monumeta cõmèdari vel meliùs possunt, vel potiori iure debent, quàm tibi? Sanè vt est Græcus ille versiculus, quo Sostratus Philosophus vitâ sibi à Cæsare impe-

trauit Augusto. Sophi, sophoys sozifin an ofinso-  
phi. Enimvero postquam illam felicem scribendi  
fufcepisti prouinciam; tot, tamq; doctissimis, iuxta-  
que elegantissimis editis voluminibus, ita mirum  
in modum hanc nostram iuris disciplinam eluci-  
dasti, ac perinde decorasti: vt tibi eam non mi-  
norem gratiam debere fatendum sit, quam pris-  
co illi Cnao Flauio, qui Ius Ciuile quondam per  
multa saecula abditum, solisq; Pontificibus notum,  
in publicum vulgauit. Proin tantum Iuris periti ti-  
bi tribuimus, sic in tuas sententias pedibus imus om-  
nes, vt quidquid vel candidati in scholis dicent,  
vel togati in foro differamus, id tibi vni ceu ex Tri-  
pode dictum (quod aiunt) acceptum ferre non gra-  
uemur. Itaque omnia Hispaniarum gymnasia, om-  
nia Hispaniarum fora, praetoriaq; (externa idem pu-  
to) nihil aliud ferre, quam istud tuum felicissimum  
Couarruuias nomen personat: vt sane, si hoc e me-  
dio tollas, quod nulla vnquam saecula tollent, futu-  
rum sit, vt & illa muta, & nos reddamur elingues.  
Sed neque immerito hic tantus tibi a nobis (vir am-  
plissime) irrogatur honos. Etenim nescio quo pa-  
cto incredibili quadam, ac tantum non diuina eru-  
ditione commentarios illos tuos absoluisi, vt nihil  
sit in Iure, siue id sit Ciuile, siue Pontificium, siue  
Regium, vel scitu dignum, vel eruditione pracla-  
rum, vel ex vsu ac utilitate commendandum, quod  
tuus ille acutissimus simulque acuratissimus non at-  
tigerit stylus: nihil sit tam arduum, tam difficile, tam-  
que profundum, quod acerrimi ingenij altitudine  
non expedieris, non explanaueris, non demum pla-  
nissimum effeceris. Mirum, vt in hoc latissimo Iuris  
caepo, ac quoda quinto (pene dixerim) labyrintho,  
ni-

nihil te fugiat, nihil te fallat, vt omnia calleas, om-  
nia teneas, omnia tanquam in praesenti proptuario ha-  
bere videaris. Mirum, quo acutissime queras, quanta  
copia & elegantia confutres, quanta doctrina & eru-  
ditione disloquas. Illud vero tum maximum, tum uti-  
lissimum, quod ex ista Iuris sylvia tot scriptorum, tot  
opinionum, tot denique voluminum varietate con-  
fusa, ita omnes flostitos tanquam decerpisti: vt in  
istis tuis locupletissimis commentarijs nihil sit non  
pulchrum, nihil sit non utilissimum, nihil sit non ma-  
xima laude dignum. Adhaec, vt qui longum per te-  
pus Regio munere iuridicando praesuisi: adiecisti  
ty exactam valde, ac fidelissimam rei forensis expe-  
rientiam; nimirum, vt nihil deesset, ex quo ista tua  
felicis lucubrationes commendari non possent. Tum  
enim, vt Quintilianus inquit, dignum operae pretium  
tenuit, cum inter se congruunt praeccepta & experi-  
menta. Iam sacrae Theologiae, politiorisq; literatu-  
rae studia, cum res postulat, tantam eruditionem ostē-  
dis: vt in vnaqua; solum laborasse videaris. Deniq;  
ita illum disciplinarum circulum orbemq; (vt dici-  
tur) absoluisi, vt te omnigenae eruditionis ac doctri-  
nae parentem, & (quod Graeci vno verbo exprimunt)  
polymathin appellare recte possimus. Merito igitur  
te praeter ceteros celebramus auctoribus, merito te praeter  
ceteros versamur in manibus: nullus enim adhuc ex-  
titit (vti mea fert opinio) qui perinde omnes erudi-  
tionis numeros simul impleuerit. Est aliquis Iuris  
scientia insignis, sed barbarie maxime sordet, volat  
alius ingenij velocitate, at subinde tanquam aura mu-  
tatur: nitet ille verborum, politiorisq; literaturae ele-  
gantia; verum vsus forensis omnino expers omnem  
gratiam perdidit: persequatur alij copiose quae tra-  
ctant,

stant, sed eō fundentes omnia Andabatarū more pu-  
gnant. Tu verō cōdignā (præter sincera cādidiſſimi  
animi documēta pietatē Chriſtianā ubiq; maxime  
ſpiratā, ſine qua cōſueſt, fruſtrā eſſe, quidquid vel  
docetur, vel edulcitur) ita iuris cognitionē cum po-  
litiōi literaturæ, iuris prudentiā cū Theologia, præ-  
cepta cū experimentis coniunxiſti: vt mehercle neſ-  
ciā, iuris neſciētia, an orationis dignitas, variarū re-  
rū artiumq; cognitio, an doctrinæ maietas, quæ cui  
præſter, & maiori laude digna videatur. Proin tu ſas  
eſt exco de coloribus iudicare) vt tu quidē veteres  
illos Bartolos Baldosq; iuris peritiæ profunditate,  
reſcētioſosq; iſtos Alciatos & Iraquellos omnige-  
na eruditione aut ſuperas, aut ceriē exæquas: ita (mea  
quidē ſententiā) vtroſq; ingenij acumine ac perſpi-  
cuitate facile vincis. Deū immortalē, vt tu iuris  
conſultorum abdita calle, vt illis veros ſenſus reſti-  
tuis, vt interpretum varias & diſſentientes ſentētias  
concilias, vt falſas & à veritate alienas facile refellis,  
vt confuſam illam & turbulentam opinionum col-  
lyiē in limpidiſſimos riuos deducis, ac ita obſcu-  
riſſima quæq; mebratim explicas, vt vel cæco qui-  
dē apparere valeant. Deniq; ita es acutus ſimul & ele-  
gās, copioſus pariter & apertus, vt tu quidē fato quo-  
dā iuri interpretando natus eſſe videaris. Sed quid  
ego agō, an ſcū audaciam meā excuſare intendo, in  
tuas laudes prolapſus panegyricū tibi canere inſti-  
tuo? Sed nihil minus, pater ornatiſſime; nō quidem  
quod materia deſit, locupletiorē enim tu (qui tuarū  
virtutū es cumulus) præſtitiffes, quā Plinio Traia-  
nus, quā cuiquā vnquā præſtitit aliquis: ſed tū quia  
te nihil huiuſcemodi præconijs moueri ſuſpicor;  
quō enim quiſq; dignior eſt qui laudetur, hoc min⁹  
lau-

laudari ſe gaudet: tum quia, vt Valerius rectē inquit,  
publicē colecrata virtus priuata laudatione nō in-  
digeret. Satis autē ſatis tuā laudatā cōſtat eſſe virtutē,  
qui præter totius Hiſpaniæ, imō vniuerſi Chriſtiani  
orbis encomiū; Regis quoq; noſtri opti. maxi. eulo-  
gio ſiſ ipſe probatus: qui te nō quidē gratia, nō fauo-  
re; ſed propter raras animi tui dotes inſignium antē  
Epiſcopiorū dignitate decoratū, nunc in hūc ſupre-  
mū Præfecturæ Magiſtratū euexerit. Ex quo cū vni-  
uerſa Hiſpaniæ, atq; adēd tot provincijs, quæ illi pa-  
rēt; tū doctis viris omnibus congratulandum eſt: te  
enim ſoſpitate & illæ futura ſunt felices, ac indies ma-  
gis magiſq; proſperabūtur, hos verō haud dubiū eſt  
alterū in te habituros eſſe Mœcenatē. Fieri enim nō  
poteſt, quin vir doctiſſimus, idēq; philoſophiſſimus  
doctorū virorū rationē non habeat. Philippo autē  
ipſi maximæ habēda ſunt gratia, qui prudens pru-  
dētē prudentiſſimū ſapiētiffimūq; ac vndiquaq;  
integerrimū ſuo lateri afluērit virū. Bene enim diui-  
nus ille Plato ſcriptū reliquit: Tum demū orbem ter-  
rarū beatū futurum, cū ſapientes regnare, aut re-  
ges ſapere cœpiſſent. Regnat enim (regnetq; multa  
per ſecula felix) Rex ſapiētis, qui talē ſibi omni ſapiē-  
tia, omni virtute ac cādore præditū, omnibuſq; nu-  
meris, abſolutū ante ſeſſorē ſelegit, cui⁹ monitis atq;  
cōſilijs ductus nō poteſt nō ſapiētē ac feliciter tot  
ſibi diuino numine cōmiſſas gubernare quincias.  
Nequaquā igitur (Præſes in clytē) eſt mihi cordi, tuā  
publicē cōſecratā laudare virtutē (nā Solē ſacibus ſi  
luminare quid attinet) ſed audacię noſtrę cauſas vel  
le tātū tibi probare. Cū enim literaria otia tātū tibi  
debeāt, ruruſq; tu eis nō parū, illa enim te in hoc ſū-  
mū humanarū rerū ſaſtigū euexerūt, tecū lege agere  
li-

litera ipse posse videntur, vt illarum patrociniū suscipias, vt illarum partes pro virili defendas, vt nos omnino culpandi non videamur, si hunc tatum cōceperimus animum, vt tibi opusculū nostrum dicere ausi fuerimus. At si fuerant hęc ita edocta, vt vel ex minima parte tanto patrono responderent. Hic (pater humanissime) nihil est, quod excusem; nihil est, quod causari possim; hic nihil, nisi in tua tatum humanitate sperare licet; Neque enim sum mihi in hac parte suffensus; agnosco ingenij exiguitatem, agnosco doctrinæ inopiam, illudq; tatum cum Socrate fateor scire, me nihil scire. Hic igitur tua me dum taxat exhilarat humanitas, quę vt est profundissima, non omnino diffido hosce nostros conatus non alpernaturam, sed boni consulturam potius. Illud quoque me reficit, quod hęc nostra, qualiacūque sunt, ex tuis illis doctissimis cōmētarijs, ex tuis illis vberimis doctrinæ fontibus exhausta & deriuata videntur. (tantū enim semper tibi tribuimus, ita egregie tuam doctrinam vbiq; suspeximus; vt nihil ferè nostro operi cōuenire iudicauerimus, nisi quod ex tua illa illustri & copiosa prodiret officina, nisi quod te teste etiam cum honoris prefatione citato probandum duxerimus.) vt sanè, si non prolem legitimam; liberum tamen nothum & degenerem, parentiq; longè dissimilem agnoscere naturæ iure impellente tuæ celsitudinis cogatur humanitas. Vale matre virtute pater, omnis doctrinæ omnifq; eruditro nis specimen, Hispaniæq; nostræ vt columē, ita & ornāmētum maximum; ac libellum, autoremq; tua summa ope indigentem maxime subleuare non desinas. Vale iterum.

Bar-

## Bartholomæi Yañez Parlado

rij Iuris Pontificij sacris initiati in  
germani fratris opuscu-  
lum Epigramma.

**C**eu paruo in speculo reflexo lumine visus  
Magnarum rerum cernitur efficies:  
Sic etiam exiguo, frater, paruoq; libello  
Visitur ingenium fertile, & acre tuum.  
Quid dicam, vt nodos, legumq; ænigmata soluis?  
Quàm plana in primis ardua quæq; facis?  
Magnorum autorum papæ vt commenta refellis:  
Apparent ferula cuncta subesse tuæ.  
Vah est quanta tuis, qualisq; melodia dictis:  
Aut Marcum, aut Fabium dicere quisq; putet.  
Tantus es, & talis demum (me iudice) frater.  
Vt te mirari possit & ipse Cyclops.  
Ex cauda vulpes, vt vulgò dicitur: ergo  
Quimus ita ex isto te iudicare libro.  
Est suspecta fratris laus, at nil mouerit hoc me;  
nam pro mille liber testibus vnus erit.  
Inuidus ergo nihil, nihil hęc postica nocebit  
Sanna: prius pereas inuide, quàm noceas.



# Elenchus capitum, quæ hoc

opere continentur.

## Proœmium.

**D**E vsucapionibus, & temporalibus præscriptionibus, ad interpretationem. l. 6. titul. 15. lib. 4.

Compil. Ordinamenti q; noui. c. 1.

Quid aduocatis in suscipiendis causis spectadũ sit. c. 2.

Annuo reditu vedito, quonam in loco vectigal, seu (vt vulgò dicitur) *alcabala* solui debeat. Et in summa tota vectigalium materia, ad nostrarum Regiarum legum interpretationem, copiosa quadã breuitate perfringitur. c. 3.

Quid inter dominium, & proprietatẽ interfit. c. 4.

An petitio hæreditatis detur aduersus titulo possidentem. c. 5.

Vtrum is, qui aliquid faciendum promisit, sit cogendus præcisẽ vt faciat, vel an potius præstando id, quod interest, liberetur. Individuorum quoq; ratio tum nouè, tum acutè & breuiter exponitur. c. 6.

An vnici filij pater possit facere prælegatum, seu (vt vulgò loquuntur) meliorationem bonorum suorum in fauorem descendentiũ. c. 7.

Quemadmodum is, qui habita fide pretij vendidit, sibi prospicere possit aduersus ceteros emptoris creditores. c. 8.

Possessio quare momentanea dicatur: et an sit vna, an duplex. c. 9.

Notantur aliquot partim iudicum, partim aduocatorum circa possessionem lapsus. c. 10.

Quem

Quemadmodum lex Falcidia, & Senatusconsultum Trebellianum hodie locum habeant, & cum legibus Regijs conueniant. c. 11.

Minore matrimonio contrahente, an curatoris finiatur officium. c. 12.

Ferire pactum, cur ita dicatur, ad interpretationem tex. in. l. 1. ff. de censibus. c. 13.

Litis contestatio quare ita dicatur. c. 14.

Seruitus altiùs tollendi, cur ita appelletur. c. 15.

Cautio, qua possit clericus vti in filia spuria dotanda. capit. 16.

De pœna palinodia cantandæ, ad. l. 2. titul. 15. lib. 9. Compil. cap. 17.

Quemadmodum legata distribuenda sint, quando testator ultra tertiam & quintam bonorum partẽ legauit. c. 18.

Filius, qui patris rem gessit, vtum patre defuncto mercedem petere possit. c. 19.

An pro reo, qui criminis causa absens est, procurator, defensorue, seu excusator admittatur. c. 20.

Læsã maiestatis rei aedes quare aratro exarentur, saleq; deinde aspergantur. c. 21.

IOANNIS YANEZ  
 Parladorij Jurisperiti, in Re  
 gio Vallisoleetano Prætorio Aduocati,  
 Rerum quotidianarum,  
 Proœmium.



COMPONIVS Iuriscōsul  
 tus, (cuius quāta fuerit prudē  
 tia, Digestorum volumina fa  
 tis demonstrant) scribit cōsta  
 re Ius nō posse, nisi sit aliquis  
 Iurisperitus, per quem possit  
 quotidie in melius produci.  
 Et rectè ille quidē : cūm quia  
 nō possūt Leges omnino arti

L. 2. §. Post o  
 rigiam. ff. de  
 orig. iur.

L. Nō possunt.  
 ff. de legib.

culos omnes, difficultatesq; vnā dissoluere, quin ple  
 runq; vsu venire solet, vt dubitationis vnus tollen  
 dæ gratia innumerabiles aliæ Lernæi capitis instar  
 suboriantur: tum quia Legum ea videtur esse condi  
 tio & quasi indoles, vt nunquam in eodem statu eo  
 demq; tenore persistant. Perinde enim ac fluuiorū  
 proprium est, vt eundem alueum nunquā perpetuò  
 retineant, sed nunc huc, nūc illuc, per singulos ferè  
 annos oberrent: æquè etiam & Leges eadem instabi  
 litate fluctuare subinde videmus: quippe cūm secun  
 dūm varietatem temporum constitutiones quoque  
 varientur humanæ: naturæ id scilicet varietate effi  
 ciente, quæ (vt noster Iustinianus inquit) alias atq;  
 alias semper conatur edere formas. Itaque quod de

A Rheto



Lib. 2. Oratio.  
init. c. 15.

Rhetorice Quintilianus scribit, idem & nos de Iure enūtiare recte possumus, late fufum esse opus & multiplex, & prope quotidie nouū, & de quo nunquam dictaerunt omnia. Igitur vt talibus Legum difficultatibus multitarium scaturientibus cōsulatur, apparet (vt Pomponius ait) recentiorum quoq; Authorū opera auxilioq; opus esse. Si quis est verò, qui his cōtrarium sentiat, is mihi non minùs à vero deflectere videbitur, quàm si absq; arte, & praeceptore vllò disciplinam quamque assecuturū se putet. Hinc hactenus omnia per saecula non temerè factum videmus, vt maximi nominis viri huic rei operam dederint: qui quidem tantum abest vt ob eam rem probro aliquo aspersi fuerint, vt è cōtrario magnam sibi laudē magnamq; gloriam eo nomine comparauerint. Deniq; in vnaquaq; disciplina Authorum monumēta maximae utilitatis esse, vel illud Plinij Iunioris elogium abundè ostendit, dicentis, nullum esse librum tam malum, qui tamen aliqua ex parte prodesse non valeat. Quocirca nequaquam ferendum est deprauatum quoddam hominum genus, qui nulla quidē ex re magis voluptatem capere vidētur, quàm si aliorū opera monumētaq; mordeant. Indignum profectò facinus, qui cum nihil boni facere vel nolint, vel nequeant: illud tantum curant, vt alios à benefaciendo deterreāt. Quibus utiq; mirum in modum cōuenit, quod Terentianus Mitio inquit: Homine imperito nūquā quidquam iniustius, qui nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat. Cum ipse igitur iam ab ineunte aetate totos neruos in Iurisprudentiæ studium intenderim, in eaque re partim priuatis lucubrationibus, par

Lib. 3. Epistolarum, epistola ad Marcum.

In Adelph.

partim etiam forensi exercitatione adiutus, inter difficiles varioq; huius discipline anfractus viderer deprehendisse me aliqua, quae ad Iurisperitorum operam iuuandam, laboremque leuandū non mediocriter conducerent: ex officio me facturum esse putavi, si ea in lucem ederem, publicaq; facerem, neque committerem, vt si quid hinc utilitatis forsan emanare posset, editionis defectu, obliuionisque periret iniuria. Operi autem Rerū quotidianarū idcirco titulū praetulimus: quoniam ea, quae in eo scribenda sunt, vsu quotidie venire solent, ex quo sanè vel praecipue opus ipsum cōmendatum putabamus. Huius autem argumenti exemplum à Caio Iurisconsulto mutuatum sumus, sub eo enim non paucos ipsum scripsisse libros legimus. In Authoribus verò citandis parcī fuimus, tum quia satis visum est vnum aut alterū locū, nisi in tempore aliud re exigente, citare, vnde tanquam per filum (vt aiunt) ducamur ad globum: tū quia illa tot allegationum turba, qua plerique ex nostris luxuriari solent, magis meo iudicio vitio quàm laudi adscribenda est. Nullum enim aliud cōmodū asportare videtur, quàm vt lectores oneret, & orationis fluxum interrumpat: tum quia veritas lucet ipsa per se, neque multo testibus indiget. Praeterea vt hūc quidem res quotidianas & foro assiduas tractandas suscepimus, ita nō triuiales illas quidē, sed quae ab Interpretibus, aut omnino, aut nō satis tractatae fuere: vnde maximum in Iuris studiosos fructum, & nobis nō vulgarem gratiam redundatum iri sperabamus. Denique breuitati in hoc opere consulere consiliū nobis fuit: siquidem, vt Iustinianus noster monet,

In Proem. In  
stitut §. Quas  
ex omnibus.

melius est pauca idoneè effundere, quàm multis inutilibus homines prægruari. Si quispiã verò hoc nostrum opus ex eo eleuare contèderit, quòd dicat ita carptim & tanquã per satyrã scribere, facile esse: hũc ego, ne erret, moneo. longè enim aliter se res habet. Etenim vnã tantùm materiã tractandã deligere, hãc persequi, & ad extremũ ducere, etsi laudabile est: res est tamen, quæ cuius mediocriter docto cõtingere potest. At in multis varijsq; materijs versati, in ijsq; periculum facere, hoc ego vt arduũ, ita & omnis laudis plenum esse iudico: nisi forsã quis putat in simplici itinere frequentius diuertere, quàm in trino, quò cum vno tantùm hoste cõgredi difficilius esse, quàm cum pluribus. Illud autem vos exoratos velim, vt si aliquando aduersus Juris interpretum opinionès, sed si receptas nitar (quod interdum nobis nõ quidẽ ostentandi ingenij, sed veritatis magis afferenda grãtia faciendum erit) nequaquam aures tanquã aduersus syrenum cantus (vt quidam solèt) obturetis, quasi vel illi errare tot tantiq; viri nõ potuerint: vel nos non tantũ valeamus, vt vbi illi impègerint, tutè trãsgredi possimus. Planè humani ingenij natura varia est, ac veluti figurarum maxima diuersitas, ita & ingeniorum insignis varietas. Quocirca sicuti in cibis euenire solet, vt qui tuo palato arrideat, meo insipidus sit, quiq; tuã proficiat, meam offendat valetudinem: non aliter etiã in ingenijs contingere solet, vt quæ alijs negotiũ faciũt, alijs intellectu facillimè contingit, id vt agas, quòd data opera nunquam efficere potuisses, vti est exemplo pictor ille apud Valerium

Max.

Max. qui cùm equum ab exercitatione veniẽtẽ, modò non viuum labore industrie suę comprehendisset, eius naribus adijcere cupiẽs spumas, nobilis artifex in tam paruula materia multum ac diu frustra tenebatur. Indignatione deinde accensus, spongiã omnibus imbutam coloribus, fortè iuxta se positã, apprehendens: eam veluti corrupturus opus suum, tabulę illisit, quã fortunã ad ipsas equi nãres directã, desideriu pictoris coëgit explere. Itaq; quòd ars adumbrare non valuit, casus imitatus est. Similiter etiã in humilioris ingenij hominibus contingit, vt non nunquam facillè consequãtur, quòd præstãtiores multo labore consequi non potuerunt. Sic Pericles vir amplissimus atq; idem sapientissimus, & Anaxagoræ doctrina ornatus, cuiusq; vis ad Olympij vsq; Iouis cognomen ascenderat (vt Valerius idem refert) diutiùs cogitando consequi nõ potuit cõsiliũ, quòd ab Alcibiade puero sororis filio de improviso excogitatum accipiens, magnis se curis exoluit. Ad hæc tẽpus rerum omnium magistrum esse constat: vnde vsu sapius euenit, vt quæ longa per sæcula latuere, modò inauspicatò cõperta videamus: sicuti tormenta illa sulphuraria, typographorum itẽ præla, & nauigantium magnetis acus, & Occidentales Indiæ, nuper inuenta, exẽplo nobis sunt. Proinde rectè dictum est illud: Quãto iuniores, tãto perspicaciores. Sed quid multis: cùm habeamus in hanc rem domesticum testimonium. An non noster Iustinianus præcipit, nõ ex Authorũ multitudinem melius & equius esse iudicandum, cùm possit: virius forsã & deterioris sententia multos & maiores in aliqua re superare?

A 3

Libr. 8. c. 12.

Lib. 5. c. 2.

De vete. iur. e  
nucl. 5. Sed ne  
que.

rare? Quod si Iustinianus, de Iurisconsultis illis p̄fici-  
 cis agens, ita monet, quid nobis facie dum putamus,  
 qui cum Iureconsultis hodie hinc conflictamus, longē  
 lateque ab illis Legum armarijs disidentibus. Hi  
 etenim (recentiores Iuris peritos dico) quasi in alio-  
 rum verba trauerint, non minus priorum senten-  
 tias exosculantur, quam Pythagoricis morem in se  
 fertur. Qui si quid in disputando affirmarent, eam  
 ex eis quareretur, cur ita esset? (αὐτὸς ἐφ' ἑαὶ) id est, ap-  
 sum dixisse Pythagoram, respondebant. Tantum o-  
 pinio præiudicata poterat, ut sine ratione valeret aũ-  
 thoritas. Itaque nō malè videtur mihi Iuris periti gre-  
 gi ouium comparandi; uti enim illæ, si qua fortè alie-  
 na septa prorumpat, statim eodem profiliūt omnes:  
 ita isti quoq; si quis fortè dum perfunctoriè rem tra-  
 ctat, lapsus est; ceteros omnes in idem veluti præcipi-  
 tium affert. Quocirca rectissimè Plato præcipiebati  
 epist̄i migar̄ oimai d̄i crine the, all̄ oy pliff̄hei tō  
 mellon calōs criff̄h̄ seff̄ha, id est: Iudicandum est  
 secundum scientiam, non multitudinem, quid quid  
 certè iudicari debet. Adcedit his Quintiliani egre-  
 gia sententia in hæc verba: Neq; id, inquit, statim le-  
 genti persuasum sit, omnia quæ magni aũthores di-  
 xerint, utique esse, perfectã. Nam & labuntur aliquã-  
 do, & operi cedunt, & indulgent ingeniorum suo-  
 rum voluptati: neque semper intendunt animum, &  
 non aũquam fatigantur: cum Ciceroni dormire  
 internum Demostenes, Horatio verò etiam Home-  
 rus ipse videatur. Summi etenim sunt, homines ta-  
 men. Hæc Quintilianus. Denique ut ex ipsis quoq;  
 interpretibus argumenta sumamus, inter eos com-

Apud Stobæ-  
 um, sermone.  
 43.

Lib. 10. Insti.  
 Orat. cap. 1.

Panor. & ceteri  
 in. cap. 1. de

mu-

muniter conuenit, Communis opinionis vim nullã  
 esse veritate in contrarium, vel lege aliqua, vel ratio  
 ne apparente. Id quod nō pauca Legum, Canonum,  
 que documenta significant; quæ recensere longum  
 esset. Postremò illud rogo, oroque, ut si hic boni ali-  
 quid fuerit, Deo Optimo Maximo (a quo bona cun-  
 ctã procedunt) gratia habeantur. Sin verò quidquã  
 offenderitis, quod culpæ vitioque adscribi possit, id  
 boni consulatis; vobis que veniat in mentem, hu-  
 mani ingenij vim lubricam satis esse, erro-  
 rique magnopere subiectam. Ac  
 iam ad rem ipsam des-  
 cendamus.

A 4 DE Vsu-

Faint, mostly illegible text, possibly bleed-through or a second column of text.

conf. Sylva  
 nupti. lib. 7. n.  
 8. Mathesil.  
 de electione  
 verioris opini-  
 onis.

De Vſucapionibus, & tempo-  
ralibus præſcriptionibus, ad interpretatio-  
nem. l. 6. tit. 15. lib. 4. Compilationis, Or-  
dinamenti que noui.

CAP. I.

S V M M A R I V M.

Vſucapio, & temporalis præſcriptio longè inter ſeſe dif-  
ferunt. num. 1. & 2.

Vſucapio propriè tam res ſolè quàm mobiles complectitur. n. 3.  
& 4.



S V C A P I O N V M, & tempora-  
lium præſcriptionum materiã quo-  
tidianam, & foro frequentiffimam  
eſſe, palam eſt. Enimuero nulla fe-  
rè agitur cauſa, in qua non ſtatim  
vſucapionum, temporaliumq; præ-  
ſcriptionũ queſtio incidat. Quippe cùm quidquid  
homines vel habeant, poſſideant ve, pene eo tantũ  
Iure tueantur. l. i. ff. de vſuca. l. i. ff. de adq. poſſef. pro-  
inde vltro ſeſe nobis ipſa materiã commendat. l. Le-  
gauri. ff. de libera. lega. Quoniam verò apud nos in ea  
compilatione, & Iuris Regij enucleatione, que nup-  
per magno huius Regni bono edita fuit, in titulo de  
præſcriptio. extat quædam lex, numer. ſexta, nõ mo-  
dò ab ijs, que olim iure communi, ſed etiam ab ijs,  
que

que dudum iure ipſo Regio recepta erant, apertè dif-  
ſentiens: opere pretium me facturum eſſe putavi, ſi  
1 illius interpretationem ſuſciperem. Principio au-  
tem, quoniam vt Caius Iuriſconf. inquit, cuiusque  
rei potiffima pars principium eſt: diſpiciendum  
nobis erit, que differentia ſit inter vſucapionem,  
& temporalem præſcriptionem: deinde verò ad ip-  
2 ſius legis Regiæ interpretationem descendemus.  
Inter vſucapionem igitur, & temporalem præſcrip-  
tionem nõ nihil intereſſe, nõ ſolum olim, ſed etiã  
hodie (id eſt, poſt legem vnicam de vſucapione trans-  
formanda) nihil dubij eſt. Semper etenim Iura his  
nominibus tanquàm diuerſis vtuntur, ſicuti intelli-  
gere licet ex. l. i. C. de communerum alien. l. i. C.  
de feruis fugi. l. In rebus. C. de iure dot. l. Heredita-  
tis. C. de petit. haredi. §. Item nobis. & §. Ex his. In  
ſtit. per quas perſon. nobis adqui. l. fin. §. Sñ autem.  
C. commu. deleg. cap. Raynutius. de teſta. Denique  
id vel ipſa titulorum collocatione apertiffimè con-  
ſtat, quum longo interuallo libris etiam interpoſi-  
tis vtrique tituli ſeparati ſint: ille in libro. 41. is alter  
in libro. 44. Digefforum. Adde quòd ſi vtrique par-  
vis & potestas eſſet, non diuerſis nominibus appel-  
larentur. Si idem. C. de codicill. In quo igitur hæc  
differentia conſiſtat, videamus. (neque miretur qui  
ſpiam, ſi in ea re paulisper immorabimur, ni fallor e-  
nim ex huiusmodi cognitione iſtius materiæ mag-  
na ex parte intelligètia pendet.) Sciendum eſt igitur  
3 omnibus ferè Iuris interpretibus placuiſſe illam i-  
ſtorum nominum eſſe differentiam, quòd vſucapio  
A 5 ad

ad res mobiles, temporalis verò præscriptio ad res soli seu immobiles pertineat. Huius opinionis est. gl. in l. 3. ff. de vsucap. & in princip. Instit. de vsucap. gl. in sūma. i. 6. q. 3. Bar. in l. Seruitutes. 4. ff. de seruit. Ab. & cæteri in rub. de præscrip. Balbus de præscri. i. par. q. 3. Lōgè autè aliter (si quid iudico) se res habet. Existimo etenim in hac distinctione Iuris interpretes illos (quod tamè ipsorū pace dixerim) toto, vt aiūt, celo errasse, ex eoq; nō paucos eis innatos esse errores. Enimvero si omnes Leges, vel quātulo eūq; iudicio, considerauerimus: nō obscure intelligemus vsucapionē non tantum res mobiles (vt istis placet) sed etiā res soli cōplecti: neq; minus propriè ad res soli, quā ad res mobiles referri, idq; plurima eadēq; apertissima lura vel conniuentibus oculis demonstrare, si nos falli atq; decipi nō sinamus. Verum ex multis paucas referemus. l. Eū, qui ades. l. Naturaliter. l. Quāuis. l. Nunquā. ff. de vsucapio. & deniq; ex omnibus ferè legibus illius tituli apparet. Ostendit etiā. l. i. ff. de publ. in rem act. l. i. C. de cōmu. rerum aliq. §. i. & §. Furtiue. Insti. de vsucap. Quid multis? cūm id ex toto pene Iure citra negotiū intelligere liceat: adeo vt neq; Accursius, neq; cæteri id inficiari poterint. Verum vt suā sententiā tueantur, aiūt, Iuriscōsultos in illis legibus impropriè & abusiue locutos: & hoc quidē cōmento illis se legibus satisfacere putāt. Quod sanè perquā ridiculū est. Quis est enim tā stupidus, obtusiq; naribus, qui existimet Iuriscōsultos illos, qui mirum in modum Latinæ linguæ elegātia floruerunt (sicuti ex eorū voluminibus apparet, & testatur quoque Quintilianus, & Valla) impropriè

Quintili. li. 5.

præ atque barbarè locutos, idque non semel, sed toties, atque adeo temper, neque vnquam in illo tractatu de vsucapio. qui late patet, proprio (vt istis placet) præscriptionis nomine vsi sint, sed semper vsucapionis? Valeant igitur interpretes ij cum suo errore: atque omnis, qui veritatem exoptat, sibi persuadeat (si cum ipsis falli noluerit) Vsucapionis nomen proprijsimè tam ad res soli, quā mobiles referre; atque ita omnia lura de vsucapione loquentia interpretanda esse: non vt ij interpretes, qui tantum in re mobili accipienda esse existimarunt; qua de causa in complurium legum intellectu eos hallucinatos fuisse deprehēdes. Nam quod existimet suam opinionem probari in l. vni. C. de vsucap. transf. falsum omnino est, sicuti suo loco docebimus opportunis. Prius enim nobis dispicere oportet, quid antea obtinuerit, vt postea quid noui illa lex induxerit, facilius possit ostendi. Ab ista verò communi antiquorum distinctione (ne aliorum laudem reticemus) plerique omnes ex recentioribus deiciuere; & inter eos Dominus Antistes Couarru. vir sanè sine controuersia inter doctissimos doctior, Hispaniæq; nostræ decus maximum, in ea Reperit. quā edidit ad regulam Possessor malæ fidei. §. vnico, primę partis.

& Val. in Proem. eleg. li. 3.

### PARAGRAPHVS PRIMVS.

*Præscriptio temporis verè est exceptio quæ datur à iure, propter lapsum temporis lege definit. n. 1. & 2.*

*Præscriptionis verbum late patere, omnesque ferè exceptiones comprehendere. n. 3. & 4.*

Alciati

*Alciati differentia inter usucapionem, & temporalem prescriptionem, nouè, acutiè, & verè refellitur. n. 6.*

*Iudex non debet habere rationem temporalis prescriptionis, nisi modo ab ipso reo in ius fuerit obiecta, aliter atq; de usucapione. n. 8.*

*Actionis temporalis perpetuaq; discrimen. n. 9.*

**C**VM igitur illam veterum Interpretum differentiam minus veram esse monstrauerimus: consentaneum erit, vt veram differentiam reponamus. Sed quoniam ea nulla quidem magis exre apparere poterit, quam ex vtriusq; verbi definitione, cū definitionis proprium sit verbi substantiam demonstrare, secundum Bald. in l. i. ff. de usufruct. oportet vt vtriusque verbi definitionem subiungamus. Usucapionem ergo Iurisconsult. definit. esse adiectionem vel acquisitionem dominij per continuationem possessionis temporis lege definiti. l. 3. ff. de usucapio.

Temporalis verò prescriptio (si verum amamus) nihil aliud est, quam exceptio ex tempore legibus definita substantiam capiens, sicuti definiuit gl. in Sūma. 16. q. 3. cui ex antiquis subscripsere Gofredus, & Rogerius in summis de prescrip. ex recentioribus verò Alciat. in rub. de prescrip. n. 4. & Dominus Couarr. in dicta reg. i. par. §. vnico. Quòd si omnes difficultates, quas Doctores aduersus hanc definitionem machinantur, effugere velis: ita mea sententia definire poteris, quòd Prescriptio temporis sit exceptio, quæ datur à Iure propter lapsum tēporis à lege definiti.

Hanc verò verissimam esse definitionem paucis monstrabo. Sciendum est enim, prescriptionis verbum gene-

generaliter prolatum, tantundem significare quātū exceptionem. l. Qui agnitis. ff. de excep. l. 3. ff. de prauarica. l. Paulus. ff. de excep. l. 1. Si maritus. §. Prescriptiones. ff. ad legē Iul. de adult. l. Scio. ff. de appel. l. Prescriptione. C. si cōtra ius, vel vtili. publi. l. Ita demū. C. de procura. Quid agimus? Possemus sine negotio in hanc rem sex millia legū allegare. Quid verò ipsa prescriptio ab exceptione distet, docet Alciat. in l. Quinque pedum. C. finium regun. & Dominus Covarru. in initio illius Repetitionis, quam diximus. Cū igitur prescriptio nihil aliud sit, quā exceptio, si temporis vel temporalis dictionem adicias: palam erit nihil aliud esse prescriptionem temporalem, quā exceptionem ex tempore competentem. Atque proinde Iurisconsulti promiscuè his verbis vtuntur, interdum prescriptionem temporalem, exceptionem temporalem appellantes, & e cōtrā, vti apparet ex l. Creditor. & l. An vitium. ff. de iudic. & l. temporal. prescrip. l. Saneimus. C. quibus nō obijto long. temp. prescrip. l. viii. C. de usuc. a transfor. l. Omnes. l. Si quis emptionis. l. fi. C. de prescrip. 30. vel 40. ann. & alias sæpe. Prescriptio igitur genus est, temporalis prescriptio species: Aequè etiam in Iure nō paucas alias prescriptionum reperire licet species, vt ecce fori prescriptionem. l. Si quis in conscribēdo. C. de pact. rei iudicata. prescriptionem. l. Sape. ff. de re iudic. item peremptoriā prescriptionem. l. Prescriptionem. C. de excep. prescriptionem militiæ. l. Ita demum. C. de procura. prescriptionem mendacij. l. Prescriptione. C. si cōtra ius, vel vtili. publ. adde lenocinij prescriptionem. l. Ita. C. de adult. dilato-



latorium præscriptionem. l. Si quis aduocatus. C. de  
 exceptio. & præscriptionem non petiti tutoris. l. Ma-  
 tres. C. ad senatuscon. Tertyll: Ex quibus omnibus  
 satis aperte datur intelligi, hoc verbum præscriben-  
 di seu præscriptionis late patere, atque non solum ad  
 hanc vnam temporalem præscriptionem pertinere,  
 sed & ad reliqua exceptionum genera. Proinde con-  
 templari licet Legislatores de hac temporali præscri-  
 ptione loquentes, non simpliciter vti hoc verbo præ-  
 scriptionis, sed semper cum adiectione illius temporis  
 vel temporalis, sicuti apparet ex. l. Longe possessionis.  
 l. Rescriptis. l. Si creditor. C. de diuers. & temporal.  
 præscriptio. l. i. C. de seruis fug. l. Si vi. C. de ijs, que vi  
 met. caus. fiunt. l. Mora. C. de rei vendica. & alijs sæ-  
 pissimè. Quæ quidem omnia dilucidè demonstrant  
 nihil aliud temporalem præscriptionem esse, quam  
 exceptionem ex tempore competentem. Proin mi-  
 hi isthæc magis definitio placet, quam illa comuni-  
 ter à Ioã. Andr. & reliquis tradita, in rub. de præscr.  
 & alibi dicentibus: Præscriptionem esse ius quoddam  
 ex tempore congruè, legum autoritate vim capiès,  
 negligentibus pœnam inferens, & finem litibus im-  
 ponens. Conferamus igitur vtraque definitionem,  
 & palam constabit quàm inter sese longè lateq; di-  
 stent. Vsucaptionem enim diximus esse adquisitio-  
 nem dominij per continuationem possessionis tem-  
 poris lege definiti: Temporalè verò præscriptionè, es-  
 se exceptionè, quæ datur à Iure, propter lapsum tem-  
 poris à lege definiti. Quæso igitur, quid vna definitio  
 cū altera cōuenit: nihil video: siquid è ex vsuca-  
 patione, vti eius definitio significat, dominium adipisci  
 mur,

mur, & consequenter nobis actio paratur. quod etiã  
 colligitur ex. l. i. ff. de publi. in rem act. Cæterum té-  
 poralis præscriptio tantum exceptionem parit, do-  
 minium vel actionem non parit: itaque in excipien-  
 do suum tantum habet officium, quippe quæ, vteius  
 definitio demonstrat, sit nihil aliud quam exceptio  
 ex lapsu temporis competens. id quod etiam ex alijs  
 multis legibus comprobatur, præsertim ex. l. i. & 2.  
 C. in quibus caus. cessat long. temp. præscrip. l. Cum  
 heres. ff. de diuer. & temporal. præscrip. l. fi. C. de præ-  
 scrip. long. temp. l. Neque mutui. C. quibus non obij.  
 long. temp. præc. l. Si fundum. ff. de fund. dotali. l.  
 Annu. ff. de requi. reis. l. Matres. C. ad Tertyll. l. i. &  
 2. C. si aduers. credit. l. Indebiti. §. Sed et si nummi. ff.  
 de condi. indebi. §. Quod autem. Instit. de vsucap.  
 Quibus quidem legibus, alijsque multis (quas recen-  
 sere longum esset) perspicuum fit, huiusmodi té-  
 poralis præscriptionis vim potestatemq; in excipie-  
 do duntaxat consistere: vt scilicet possit possessor a-  
 ctorem præscribendo (id est excipiendo) repellere.  
 Neq; vquam profectò legem aliquam reperies pro-  
 bantè ex temporali præscriptione actionem vel do-  
 minium proficisci, id quod semel placuisse video. Ac-  
 cursio, in. l. i. C. si aduers. credi. præscrip. long. temp.  
 oppo. Qui si sibi semper cōstas fuisset, alijsq; eis cōsen-  
 tirent: profectò non tam longè lateq; errassent. Inge-  
 nere igitur môstrauimus, quid inter Vsucaptionem &  
 temporalè præscriptionè intersit. In quo video etiã la-  
 psus esse alioqui disertissimum atq; perinde iuris-  
 cōsultissimū Alciatū in. l. Quinq; pedum. C. finium  
 regū. & alijs quoq; Qui tametsi à cōmuni illa Inter-  
 pre-

pretum antiquorum differentia discedat (in quo rectè ille quidem) ait tamen temporalem præscriptionem esse exceptionem, quæ ex ipsa usufructuione proficiscatur. Cuius sententiam amplectitur Dominus Præsul Couarru. in dicto. §. unico primæ partis, nu. j. & nostras etiam Nauarrus tam doctrinæ quàm virtutis rarum exemplar, in libro illo, quem Manuale nuncupauit, ca. 17. nu. 85. Mediusfidius si superius tradita nobis cōstant, si quas leges attulimus, rectè inspiciantur: non ita coherere usufructuionem & temporalem præscriptionem intelligemus, vt vna ex altera pēdeat, cum diuersam vtriusq; esse vim potestatemq;, neq; eundem habere effectum superioribus monstrauerimus. Deinde (vt iugulum petam) Alciati opinio vera esse quæ potest, quando quidem olim alia atque alia tempora usufructuioni & temporali præscriptioni præscripta fuerint; multo que breuiora spatia usufructuio sortita fuerit, quàm temporalis præscriptio. Adde quod etiam diuerso iure, atq; adeò distantibus sæculis vtræq; introductæ fuere, illa duodecim tabularum iure, vt apparet ex principio Instit. de usufructu. ex Cicerone li. i. de legib. hæc verò ex Principū Cōstitutionibus. vt ostēdit. §. i. Instit. de perpet. & temporal. actio. §. Quod autem. Instit. de usufructu. Quid si id, quod Alciatus scribit, verum esset: nonne semper usufructuio locum haberet, vbi temporalis præscriptio compareret? Id verò ne quidem hodie (id est, post legem vnicam de usufructu. transf.) verum esse non obscure significat. §. Item nobis. & §. Ex his. Instit. per quas perso. nobis ad qui. l. fi. C. de edicto Diui Hadr. toll. §. Quod autem. Instit. de usufructu. & ex jis, quæ paulò

paulò post dicenda sunt, exactius apparebit. Denique si vera esset Alciati opinio, nequaquam Legislatores appellarent longi temporis præscriptionem, sed usufructuionis præscriptionem. Quæ igitur inter se potestate distant, quæ effectu, quæ officio discordant, quæ ortum diuersum habuerint, quæq; differentem temporum metam sortita fuerint, quæ denique nomine ipso & olim & hodie discernantur, has ita cōiunctas esse, vt altera ab altera pendeat, nemo merito dicere poterit. Proin Alciati opinionem veram non esse liberè pronuntio. Ex superioribus quoque notandum erit, non mediocriter peccare Interpretes, quod hoc verbum *præscribendi*, cum generale sit, & ad omnem exceptionem pertinens, ad hanc duntaxat temporalem exceptionem redigant ac obtrudant; cum (vt modò monstratum est) nunquam Iuriscons. vtantur in hac significatione hoc verbo, siue appositione illa *temporis*, vel *temporalis*. Sed neque illud minus explodendum, quod ipsi Scriptores vsurpant, dicentes, fundum præscribere, rem præscribere. Cum etenim præscriptio sit exceptio, atque aduersus exceptionem opponatur: minimè in hanc significationem accipi potest; nisi fortè rectè dicimus, rem excipere, fundum excipere. quod si hoc ab auribus abhorret, neq; minus & illud abhorrere debet. Neque sibi quis bladiatur ex eo, quod Imperator dixerit, actionem præscriptam. l. Si non conuitij. C. de de iniurijs. & Iuriscons. quæstionem præscribi. l. Quæcunq;. ff. de requi. reis. Equidem actioni vel quæstioni præscribere rectè dicimus. quocirca in passiva voce rectè actio præscripta dici potest, sicuti in d

milibus verbis videm⁹. Horatius: Ego cur adquire  
 pauca si possum, inuideor? Et alibi: Ego hæc procura  
 re, & idoneus imperor. Et hæc quidem Interpretum  
 vitia etiam taxat Alciatus, Budæus, Eguinarius, Co-  
 uarru. ceteriq; recentiores: tamen & ipsi nonnūquā  
 fut obli, in idem vitium prolabatur. Postremò (ne  
 ab vtu forensi oratio nostra remota esse videatur) ex  
 superioribus item definire possumus: quæstionē illā,  
 quam tractant Panor. & alij in. c. Ad aures. de præf-  
 cr. & Balb. de præscri. pat. q. 8. Possit ne Iudex ex suo  
 officio repellere actorē, aduersus. quē appareat ex ac-  
 tis tēporalē prescriptionem cōpetere: quamuis ea à  
 reo obiecta nō fuerit. Planè quidquid isti sentiant, o-  
 pinior Iudicem nequaquam temporalis prescriptio-  
 nis rationē habere debere, nisi ea à reo in iure propo-  
 sita fuerit: cum (vt paulo ante latè monstratū est) præf-  
 scriptio temporalis nihil aliud sit, quàm exceptio: re-  
 ceptissimūq; sit, quoties actio ipso iure non tolli-  
 tur, sed ope exceptionis, Iudicem non debere excep-  
 tione à reo nō proposita, actorē expellere. glo. Bart.  
 & ceteri. in. l. Si vnus. §. Pactus ne peteret. ff. de pa-  
 ctis: sed & actionē ipso iure per temporalem præscri-  
 ptionem non tolli, sed ope exceptionis, ipsi vno ore  
 Scriptores fatentur omnes, teste Tiraquello de re-  
 tract. conuen. §. 1. n. 39. & Castello in. l. 63. Tauri. nu.  
 26. quod verum esse vel ipsa nominis significatio a-  
 pertè demonstrat, cum vt diximus, & sæpe dicendū  
 est, nihil aliud sit quàm exceptio. Ex quo intelligi  
 potest, quid nos in vsucapione definire velimus: nā  
 eam vsucapio ipso iure actionem exingnat. l. Nul-  
 lus. de rei vend. l. Neque vtilem. ff. ex quibus caus.

maio.

maio. relinquitur posse eum, qui iurisdictioni præ-  
 est, partes suas interponere, reoq; etiam nō opponē  
 te actorem sine actione experientem repellere. Sed  
 iam ad alias differentias accingamur, si prius tamē  
 illud admonuerimus, quod mehercle ad totam hāc  
 materiam egregiè pertinet. Sanè quædam esse actio-  
 nes perpetuas, quædam verò temporales, neminem  
 latere puto. Illud verè eos, quoque fallere non de-  
 bet, harum actionum non parem esse rationem, si-  
 quidem temporales actiones ipso iure lapsu tempo-  
 ris finiuntur, scilicet, etiam nō opposita exceptione  
 l. In omnibus. ff. de actio. & oblig. & ideo eo nomine  
 temporalium vtuntur. Atqui perpetuæ actiones ipso  
 iure non finiuntur, sed tantum per prescriptionem,  
 seu maius exceptionem longi temporis vel longissi-  
 mi refelluntur; & idcirco perpetuæ nominantur.

Quia si temporalis prescriptionis obiectione nō re-  
 pellantur, perpetuò duraturæ sint: sicuti dilucidè ap-  
 paret ex illo titulo Instit. de perpetuis & temporalib.  
 actio. Et hoc quoq; bellissimè animaduertit Panor.  
 in. c. Cū causam. nu. 10. de empt. & venditio. Sed neq;  
 interim illud obliuiscendum erit, has temporales ac-  
 tiones à vsucapionum natura differre: quoniam in  
 temporalibus actionibus, nisi toto postremo die cō-  
 pleto obligatio nō finitur. l. In omnibus. ff. de actio.  
 & obli. aliter atq; in vsucapionib⁹, in quibus dies in-  
 ceptus habetur pro cōpleto. l. In vsucapione. ff. de  
 vsucapionib. l. In vsucapione. ff. de diuer. & tēp. præf.  
 qui verus sanè illarū legū intellectus est, etsi in illa-  
 rū interpretatione, cum alijs alij variè senserint, tū

10 Ludouicus Charonda verisimilium lib. 3. c. 17. Vt au

B 2

tem

tē obiter dicamus, erit illa lex in omnibus apprimē notāda ad eas actiones temporales, quæ nostratibus legibus Regijs introductę sunt, veluti illa, exempto venditoque læsionis ratione competēs, quę quatuor tantūm annos durat. l. i. tit. ii. lib. 5. Compila. Item & ad illam retractus, quę intra nouē dies tantūm competit. vt in. l. 7. eiusdem titu. æquē & ad illas, quæ famulis pro mercede, tabernarijs, & opificibus pro operis & mercibus creditis intra triennium dātur. vt in. l. fi. tit. 15 li. 4. Compil. Etenim in his actionibus temporalibus, & alijs id genus, dicendū est, ex illius legis argumento non esse computandum tempus de momento ad momentum, sed necesse esse vt totus postremus dies compleatur. Deniq; vsucapionum, item temporalium actionum, præscriptionumq; tēporis, sicuti diuersa est appellatio, ita diuersam esse causam vbiq; Iurisconsulti significant. Nostri verō Interpretes (alioqui sapientissimi) dum ea, quę diuersa sunt, indifferenter accipiunt, nō semel miserē cōfunduntur.

### §. SECVNDVS.

*Vsucapione iustum siue legitimum dominium consequimur: contra, temporalis præscriptio dominium parit nullum. n. 11.*

*Communis illa Interpretum opinio existimantium ex temporali præscriptione vtile dominium in rebus soli, ex vsucapione directum in rebus mobilibus adquiri, luculenter refellitur. n. 13.*

*Vsucapionis & temporalis præscriptionis rationem, non eandē esse explicatur. n. 15.*

*Vsucapio aduersus eos, qui in integrum restitui solent, procedit;*

*tem-*

*temporis verò præscriptio non procedit. n. 16.*

*Vsucapione completa ij, quibus in integrum restitutio datur, directæ actione experiri non possunt: secus in temporali præscriptione. n. 17.*

*Vsucapione pignus non tollitur, contra pignoratitia actio præscriptione repellitur. n. 18.*

*Vsucapio per litis contestationem non interpellatur, secus in temporali præscriptione. n. 19.*

**H**ACTENVS in genere vsucapionis, & tēporalis præscriptionis differentia nō minus verē, quā luculēter aperuisse videmur: deinceps in specie alię differentię explicādę nobis sunt. Differūt præterea vsucapio & tēporalis præscriptio, quod vsucapione iustū legitimūq; siue (vt vulgo vocant) directum dominium consequimur, quod & ipsa vsucapionis definitio declarat: Tēporalis verò præscriptio; cum sit exceptio ex tempore competens, minime ex ea dominium parari potest. Sed latius hæc sententia nobis aperienda est. Enim verò quod vsucapione dominium adispicamur, apparet ex. l. Traditionibus. C. de pact. l. ff. de vsucap. l. Sequitur. §. Lana. eod. tit. l. In bello. §. Si quis seruum. ff. de capt. & postli. reuerf. §. Alia. Instic. de actil. Neque vtilem. ff. ex quib. caus. maior. & ff. de publi. in re actio. l. Nullo. C. de rei vend. Deniq; id ex toto, pene Iure facile deprehendere licebit. Quod autē de dominio legitimo, seu directo (vt vocant) accipiendū sit, nihil dubitandum est, quādoquidē in dominū in ea significatione proprie accipitur. l. ff. si ager vectig. vel cinph. pera. Et expressim significat Varronis verba

B 3 de

de re Rustica, qui ita inquit: In emptionibus, id est, alienationibus dominium legitimū sex serè modis perficitur: hereditatis iustæ aditione, m̄ncipio, iuris cessione, vsucapione, sub corona, sub hasta emptione. Ceterum quòd ad tēporalē præscriptionem attinet, cum, vt diximus, & sæpe dicendum est, nihil aliud sit quā exceptio: nemo meritò inficias ibit, per eam dominium vllum acquiri non posse, neq; vtile, neq; directum. tantum enim exceptionem parat nō actionem: quàm quidem produceret, si dominium pareret. §. Omnium. Instit. de actio. Et hanc differentiam (si quid iudico) sentit. l. fi. C. de edict. diui Had. tol. Illa enim verba, *Nisi tantum tempus effluxerit, quod possit vel possessori plenissimè securitatem super dominio præstare*, de vsucapione proculdubio sunt accipienda. Quæ verò sequuntur, *vel ipsi, qui missus est, omnem intentionem excludere*, ad temporalem præscriptionem sunt vtique referenda. Igitur præscribendo, id est, excipiendo possessionem diu obtentam defendimus. l. Indebiti. §. Sed & si nummi. ff. de cond. indeb. l. 1. & 2. C. si aduers. cred. l. Neq; mutui. C. in quibus caus. cessat long. tempo. præf. At possessione forsàn amissa, præscriptio tēporis nihil prodest, sed vsucapione opus est. Quamobrem decepti sunt quidem Interpretes, quibus placuit in rebus immobilibus extemporali præscriptione vtile tantum dominium, non directum proficisci: in rebus verò mobilibus per vsucapionem dominium legitimum siue directum parari. gl. ceteriq; in Auth. Nisi tricennale. C. de bonis mater. Et illic Pinellus. nu. 36. 1. par. & Iaso. in. l. Traditionibus. C. de pact. Cum etenim vsucapione do-  
mi-

miniū acquiratur, vsucapio verò tā res soli quā mobiles cōplectatur, vt principio ostendimus: necesse profectò est, vt tā in rebus mobilibus quā immobili b9 iuxta dominium legitimū vsucapione acquiratur. Ecquid quæro à vobis sapiētissimi alioqui Interpretes, res soli seu immobiles cōmeruere, vt eis per vsum et lōgā possessionē dominium directū abnegetis, quod rebus mobilibus impartiri nō dubitatis? An quia illæ viliores his sint? at cōtrā, has illæ lōgè superāt, id quod vos nō negabitis. An quia possessio in his magis propriè, quàm in illis cadat? at hoc Iurisconsulti negant. l. 1. l. Peregrè. l. Si rem mobilem. ff. de acqui. possess. Deniq; si omnes rationes, quotquot excogitare poteritis, magis in hac parte reb9 soli quā mobilibus suffragātur, quid quæso, in res soli iniurios esse pergitis? Nā quod dicitis in rebus immobilibus seu soli per præscriptionē vtilē dominium acquiri, neq; vlla lege probatur, neq; verū esse potest, cum, vt monstrauimus, ad excipiendū tantum præscriptio tēporis valeat. vt omittam vtile dominium nusquam apud Iurisconsultos legi, sed esse à vobis eumentum, & ve  
[4] stro Marte fabricatum; vt præter ceteros recentiores luculenter ostendit Duarenus lib. 1. dispu. ca. 17. Ex quo etiā intelligi potest, nequaquam probare nos illā alteram Martini, eiusq; fautorum opinionem; quos quidem latè referunt ac sequuntur Dominus Couarru. in dicta regu. Malæ fidei possessor. 3. par. initio. n. 3. & Pinellus in dicta Auth. 1. par. n. 36. Ij etenim, etsi ab illa cōmuni Interpretū opinione dissentiant, in quo rectè illi quidē: aiūt tamen dominium directū præscriptione tēporis, perinde ac vsucapione,  
B 4 adqui-

adquiri. Planè et si nihil magis verū sit, quāni dominiū directum per vsum & lōgam possessionē in rebus immobilibus adquiri: verū id vsucapioni, quę tam in rebus mobilibus quāni immobilibus locum habet, omnino tribuendum est, nō temporali p̄scriptiōni.

### §. TERTIVS.

**V**SVCAPIO deinde ac tēporalis p̄scriptiō nō eadē ratione, sed diuersa introducta fuere. Vsucapio enim bono publico, simul ne dominia rerū in incerto essent, simul vt litium finis esset aliquis, introducta fuit. l. i. ff. de vsucap. in prin. Inst. eod. l. fi. ff. pro suo. Enim verō si vsucapionē missam faceremus, difficulter dominiū probari posset. Cū etenim rerū dominiū naturali possessione, id est, prima inuasiōne cōperit, l. i. ff. de acqui. poss. memoria verō illius possessionis perierit, omnino dominiū probari aliter non posset, nisi per vsucapionē & possessionē ex integro renouatam atq; repetitā. At si dominia in incerto essent, iam vides quon quātaq; incommoda Rem publicam lacerarent, tūptōpter rerum incuriam & negligentiam, nemo enim quod suum esse dubitaret, iusta cultura coleret: tū propter litium multitudinem, quę quotidie magis ac magis scaturire necesse esset, dum suam quisq; rem esse cōtenderet. Proinde re ad Cicerone pro Cecinnado cū ai est: Fundus à patre relinquitur: at vsucapio fundi, hoc est, sollicitudinis, & periculum litium nō à patre relinquitur, sed à legibus. Hanc refugit ratio, quare vsucapio introducta fuit. Porro tempo-

ra

ralis p̄scriptiō nō hac quidem ratione, sed alia diuersa, scilicet, propter desidiam & negligentiam dominorum res suas petere negligētes, fuit introducta. l. fi. C. de annali excep. c. Vigilanti. de p̄scrip. l. fi. C. de edict. diui Hadri. tol. Par est enim, vt tanto tēpore desides suę negligentię ac socordię p̄nas luant.

### §. QVARTVS.

**D**ISSIDENT quoq; vsucapio & tēporalis p̄scriptiō, quōd vsucapio aduersus illos, qui in integrū restitui solent, procedit, siue ij minores sint, siue maiores. l. Nullo. C. de rei vendi. l. Ab hostibus. C. de capt. & postli. reuers. l. Attilicinus. ff. si serui. vendic. l. r. C. si aduers. vsucap. l. Etiam ei. ff. de minor. l. 2. §. Si à p̄pillo. ff. pro emptore. Porro p̄scriptiō longi temporis, decem scilicet vel viginti annorum, aduersus eos, qui restitui solent, non procedit. l. i. & 2. cum reliquis. C. de restitu. milit. Vtrūq; autē proprijs rationibus. Cū etenim vsucapio bono publico introducta sit, vt modò diximus, meritò aduersus omnes procedere debet; siquidem utilitati publicę priuatam cedere exploratū iuris est, tex. in. c. Bonæ. de postul. prala. At temporalis p̄scriptiō, cū solū negligentēs vlciscatur & puniat, quum est vt ijs, qui restitutionis in integrum beneficiū habent, nequaquam noceat, siquidē ij negligentię notam minime possunt, aliqui nō eis à iure in integrū daretur restitutio. Hinc altera singularis proficitur differentia: nō possunt eos, qui restitutionis auxilio vti possunt, vsucapione cōpleta directa actione ex-

B 5 periri,

periri, sed prius in integrum restitutionem postulare debere, ut nempe rescissoria actione sibi concessa experiri queant. Isthac conclusio apparet apertissime ex l. Ab hostibus. C. de capt. & possli. reuers. l. Nullo. C. de rei vend. §. Rursus. Instit. de actio. Aliter atque in temporalis prescriptione, nam ea non obstat, ij, qui in integrum restitui solent, directa actione experiri possunt, neque restitutione vlla opus habent: obiectam enim aduersus se temporalem prescriptionem replicatione expellunt, sicuti citra negotium intelligi poterit ex l. Ab hostibus. C. quibus non obij. long. temp. prescr. l. Sacimus. C. de restit. mili. l. Neque reipublice. l. Quod tempore. C. cod. tit. l. Adolescentie. C. in quib. caus. in integ. resti. non est necesa. l. Prescriptione. l. Si possessio. l. Non est ignotum. C. quibus non obij. long. temp. prescr. Constat huius discriminis ratio, quia cum per usucapionem dominium adquiratur, dominium & actio ipso iure priori domino tollitur, & usucapienti acquiritur, uti ex supra dictis apparet, & ite ex l. Neque vtilem. ff. ex quibus caus. maior. Actione igitur amissa, necesse est ad in integrum restitutionem recurratur, ut rescissoria experiri possit. Ceterum per temporalem prescriptionem quam actio ipso iure non tollatur; ut satis monstratum est supra, & ipsummet verbum *significat*: nihil est impedimento, cur ij, qui in integrum restitui solent, statim agere non valeant; obiectam enim aduersus se temporalem prescriptionem (ut diximus) replicatione refellere possunt. Et sane is est illarum legum & verissimus & planissimus intellectus. An vero illarum sensum nostrates Interpretes assecuti fuerint, ipsi viderint.

rint. Mihi enim magis est cordi legum veritatem patefacere, quam in aliorum erroribus refellendis tempestere.

### §. QVINTVS.

**I**NTEREST deinde inter usucapionem & temporalem prescriptionem, quod pignus usucapione non tollitur. l. Usucapio pignoris. ff. de pignori. l. 2. ff. pro hered. l. Cum postulassem. §. si. ff. de damn. infect. Quas quidem leges, cum in usucapione loquantur, nihil dubij est, tam in rebus soli quam mobilibus locum habere: tametsi Accursius, & ceteri Interpretes in mobilibus solum accipiendas duxerint, sua scilicet opinione decepti, quod usucapionem ad res duntaxat mobiles pertinere falso putauerint. Verum in temporalis prescriptione diuersum est: longi enim temporis prescriptio pignus repellit. l. 1. & 2. C. si aduer. credit. long. temp. prescr. opp. Sed cur quæso tam diuersum? Quoniam usucapio dominium persequitur, ut supra dictis constat: At pignoratitia actio dominio contraria non est, sed possessionem tantum nudam auocat. l. Si cum venditor. in principi. ff. de euiet. l. Si fundus. §. Credito. ff. de pig. Quando igitur inter se contraria non sunt; altera alteram non potest extinguere. Hanc quidem rationem (ne à riuulis, sed à fonte petatur) reddit Papinianus in l. 1. §. Cum prædium. ff. de pigno. & iterum in l. Iusto. §. Non mutat. ff. de usucap. Porro temporalis prescriptio actioni opponitur, siue ea in rem sit, siue in personam. l. fin. C. de prescr. long. tempo. l. Sicut in rem. C. de prescr. 30. vel.

vel. 40 ann. atq; proinde pignoratitiæ actioni, sicuti  
& reliquis actionibus, contraria est, eamq; repellit.

§. SEXTVS.

**D**ISCREPANT quoq; vsucapio & tēpora  
lis præscriptio, quòd præscriptio per litis con  
testationē interpellatur. l. Moræ. C. de rei vend. l. Ne  
que bona fide. C. de præscr. lon. tēp. Vsucapio verò  
per litis contestationē haudquaquam interrūpitur. <sup>19</sup>  
l. 2. §. fi. ff. pro emptore. l. Si post acceptum. ff. de rei  
vend. §. Si ad exhibendum. Instit. de offi. Iud. l. Sed &  
si vsucapio. ff. famil. ercif. l. Iulianus. §. Sed & si quis.  
ff. ad exhibend. Et hanc quidem differentiam & In  
terpretes ipsi (ne omnino illis bellū indixisse videamur)  
tradant. Cæterum in illo lapsi sunt, quòd leges  
illas in vsucapione loquētes, sua illa falsa distinctio  
ne decepti, in rebus mobilibus tantum accipiendas  
comminiscuntur: cum manifestum sit, tam in rebus  
immobilibus quam mobilibus locum habere, ex ip  
sius scilicet vsucapionis propria significatione, vt  
in principio monstrauius.

§. SEPTIMVS.

*Incorporalia non vsucapiuntur: in incorporalibus verò præscri  
ptio temporis locum habet. n. 20.*  
*Vsufriuctus vsu non capiunt: at in eo præscriptio temporis lo  
cum habet. n. 21.*  
*Seruitutes vsucapi non possunt: in eis tamen præscriptio tempo  
ris bene procedit. n. 22.*

Intel-

*Intellectus ad. §. fi. Instit. de serui. n. 23.*

*Intellectus ad. l. Si quis diuturno. ff. si serui. vend. n. 23.*

*Intell. ad. l. Foramen. ff. de serui. urban. præd. n. 24.*

*Intellectus ad. l. Seruitutes. ff. de serui. n. 25.*

*Aquæductus, & fluminis seruitutes quemadmodum extermini  
nentur. n. 27.*

*Communis interpretum distinctio seruitutum continuarum, &  
discontinuarum apprimè dedocetur. n. 29.*

*L. Hoc iure. §. Ductus aquæ. ff. de aqua quoti. & aestina. ex  
planatur. n. 30.*

**D**IFFERUNT prætereà vsucapio, & tempo  
ralis præscriptio, quòd incorporalia vsucapi  
non possunt. l. Seruus. §. Incorporales. ff. de adqui. re  
rum domi. cuius hæc sunt verba: *Incorporales res tradi  
tionem & vsucapionem non recipere manifestum est.* Hoc au  
tē vel ipso verbo vsucapere intelligitur. Capi enim,  
quæ tanguntur, possunt: in corporalia verò minimè  
tangi possunt, ideoque capi (id est) apprehendi non  
<sup>20</sup> possunt. Porrò temporalem præscriptionem etiam  
in rebus incorporalibus locum habere constat, quippe  
quæ aduersus actiones obijciatur, siue eæ pro rebus  
corporalibus, siue incorporalibus cōpetant. l. Sicut.  
C. de præscr. 30. vel. 40. ann. l. Hæreditatis. C. de peti.  
hæred. Hinc alia elegans differentia pendet. Enim  
verò tametsi in vsufructu, qui est ius incorporale, lo  
cum habeat longi temporis præscriptio, id est, licet  
actio confessoria vel negatoria pro vsufructu cōpe  
tens, longi temporis præscriptione excludatur, uti  
<sup>21</sup> luculentissimè ostendit. l. fi. C. de præscr. long. tēp.  
Atqui vsufructus, cū res incorporalis sit, vsucapio  
ne



ne haudquaquam acquiritur. l. Iusto. §. Non mutat. ff. de usufructu. l. Adquiritur. §. si. ff. de acqui. rerum domi. Qui sane est illarum legum proprius & germanus intellectus, verissima & planissima concordia. At nostri Interpretes, dum illarum legum intellectum non assequuntur, in quot (proh dolor) sed tacere satius putato, ne quisquam me in interpretes procaem esse inhiulet, è plauastroque me loqui dicat.

### §. OCTAVVS.

**H**ACTENVS non paucas, leues ve legum difficultates ex huiusmodi usufructu, & temporalis praescriptionis differetia sustulisse videmur: sed & nunc, mediusfidius ex hac eadem differetia inextricabiles alioqui legum quarundam nodos profligabimus. Quibus quidem in tantum Interpretes irriti sunt, ut compluribus, eisdemque grauisimis erroribus, eos implicitos animaduertam. Primum autem istarum legum, quas dico, verum intellectum summam proponam: deinde Interpretum opiniones refellam, simulque ipsorum argumentis satisfaciam. Sciedum est igitur inter temporalem praescriptionem, & usufructum illud etiam interesse, quod usufructu seruitutes non possunt. l. Si aliena. §. Hoc iure. ff. de usufructu. vbi in hac verba Iurisconscribit: *Hoc iure utitur; ut seruitutes per se nunquam longo tempore usufructu possint, cum aedificijs possint.* Text. etiam in. l. Seruitutes. 4. ff. de seruit. & l. Sequitur. §. si. ff. de usufructu. Cuius rei ea quidem est ratio: quonia, ut paulo ante diximus, incorporales res usufructum non recipiunt. d. l. Seruus.

uis. §. i. ff. de acqui. rer. domi. Seruitutes autem incorporales esse, nemo est qui dubitet, ut in prin. Insti. de reb. corporal. & incorpo. Atqui in seruitutibus locum habere temporalem praescriptionem. 10. vel. 20. annorum, manifestè ostendit. l. si. C. de praescri. long. tem. & l. 2. C. de seruitut. & aqua. Quae cum generaliter loquatur, indistinctè sunt accipiendae. Illud tamen meminisse debemus, licet seruitutes usufructu non possint: verum tamen si quis per tempus, quod hominum memoria excedat, seruitute usus fuerit; quasi imposita ipso iure seruitus videtur, & constituta. l. Hoc iure. §. Ductus aqua. ff. de aqua quoti. & a. l. i. §. si. ff. de aqua pluui. arcèd. vbi in haec verba Iurisc. inquit: *sane. ut in seruitutibus hoc iure utitur, ut vbi seruitus non inuenitur imposita, quando usus est seruitute neque, ut, neque, clam, neque, precario: habuisse longa consuetudine velut iure impositam seruitute videatur: eritque ista qua si seruitus: in quam rem valem actionem habemus.* Haec tamen Iurisconscribit. Neque sane his refragatur text. in. §. si. Insti. de serui, vbi dicitur, seruitute duobus tantum modis constitui, contractu, vel testamento: nam illud quidem proprie. verum quando quis diuturno tempore, id est, quod hominum memoria excedat, seruitute usus est: non est propriè seruitus, sed quasi seruitus, ut Iurisc. in illis legibus proximè allegatis aperte docet. Et hoc sane est, quod voluit dicere Iurisc. in l. Si quis diuturno. ff. de seru. v. d. Aut. n. si quis diuturno usu, et longa quasi possessione usus aqua ducta, a eius sit: non tamen. si est nocere de iure, quo consuetudine servitute vel alio modo si dicitur habet actionem, ut si servitute pro a iure (forte tui) usu se, non uti, non clā, ut precario. Quae aperte Iurisc. dixerit: tamen contractu, vel testamento serui-

seruitus propriè constituitur: attamè si quis vsus fuerit seruitute per tempus diuturnum (seu immemorabile, vt vocant) habebit vtilè actionè: quoniã eo casu seruitus iure ipso quãsi constituta videtur. Hic est sanè verus ac germanus illarũ legum sensus. Quòd si cuiuspiam Diui numine fieret, vt Iurisconsulti reuiscerèt: audacter ausim sponsonem facere, sese meã hanc omnino interpretationem probaturos. At no<sup>24</sup>stri Interpretes (alioqui sapientissimi) miris modis in illarũ legum intelligentia hallucinati sunt. ipsoꝝ quod pace dictũ velim. Vt enim inter has leges, quę magis diuersa sunt, quã contraria, concordia ponant; cõfingunt quandã distinctionẽ seruitutũ continuarũ, & discontinuarũ. vt intelligat oportet me interim eorũ verbis yti. Aiũtq; seruitutes, quę causam continuam habeant, longi tẽporis præscriptione; quę verò discontinuã, diuturno seu immemoriali tempore adquiri: vtũturq; in hanc sententiã argumẽto tex. in. l. Foramẽ. ff. de serui. vrba. præd. & l. Seruitutes. 4. ff. de seruitu. Quę tamẽ leges hanc suã distinctionẽ haudquaquam probant. Et quoniã Interpretes totũ suã distinctionis fundamentum in illis legibus collocant: operæpretium erit, vt tantisper in illarum intelligentia moram faciamus. In primis igitur notandum est, has duas leges in vnam eandẽque sententiã accipere Interpretes, cùm interim re vera diuersa cõtineant. Enim verò illa lex Foramen. ait omnes seruitutes perpetuam causam habere debere: illa altera, seruitutes non habere certam continuãq; possessionẽ. Atqui causa in seruitutibus nõ est idẽ, quod possessio: neq; cõtinnuus significat idem, quod per-

perpetuus. Causa enim in seruitutibus dicitur illud, ex quo seruitus efficitur: vt ecce in seruitute aquæ ductus, vel aquæ haustus, causa seruitutis est ipsa aqua; vt apparet ex illa. l. Foramẽ. item ex. l. i. §. Hoc interdictum. ff. de fonte. Possessio verò in seruitutibus est nihil aliud, quã ipsius seruitutis vsus. l. Si quis diuturno. ff. si serui. vend. l. Seruitutes, quę in superficie. ff. de seruit. vrba. præd. l. pen. ff. de serui. Rursus verbũ *perpetuus* nõ idẽ significat, quod verbũ *cõtinuus*. Hoc enim significat quod iugiter & sine interuallo fit. l. Continuus. ff. de verb. oblig. Illud verò, quod *se* per existet, & permanebit. l. Eum debere. ff. de serui. vrba. præd. gl. in. l. i. ff. pro socio. Quocirca fieri potest vt quid perpetuum fit, quod tamen idem nõ fit cõtinnuus: vt putã in pluuia (ne aliũde exempla mutuemur) Perpetuò enim pluet, & tamẽ non cõtinnuò pluit, vt & notissimum est, & scribit Iuriscons. in. d. l. Foramen. Cùm itaq; illarũ legũ verba diuersa sint, velle eas in vnam sententiam conglutinare, non sat

26 bona est interpretatio. Verũ vt illius legis Foramẽ. sensum possis deprehendere, illius speciem ita accipere debes. Ego habebam domi meã conclaue seu tricliniũ, (is est locus, vbi cœnatur atq; discubitur.) Cùm igitur illic ex aqua, quæ ministerij, putã, causa diffundebatur, colluies seu immunditia fieret: feci pauimenti proluendi causa foramẽ in pariete triclinij, vt illac immunditia illa & colluies in vicini prædium efflueret. Cõsulebatur igitur an colluies illa, qua ita perforamen illud esset emittenda, seruitutẽ efficeret, & tempore adquiri posset: & respõdet Iuriscõsultus: Neq; seruitutem eam esse, neq; tẽpore

adquiri posse: si modò in eū locū nihil è cælo aquæ veniat. Diuersitatis autem rationem subiunxit, quia cū è cælo aqua cadit, etsi nō assiduè fit, ex naturali tamen causa fit, & ideo perpetuò fieri existimatur. At quando è cælo aqua non cadit, perpetuā causam nō habet, quia manu hominis fit. Omnes verò seruitutes perpetuas causas habere debere generaliter Iurisconsultus definit. & idcirco neq; ex lacu, neq; ex stagno aquæductum constitui posse tradet. Ista sanè est verissima illius legis expositio. Id vt oculata fide credas, ante oculos illius verba subiiciam, quæ quidè hæc sunt. *Foramen in pariete conclauis vel triclinij, quod esset proluendi pavimenti causa: id neque flumen esse, neque tēpore adquiri placuit. hoc ita verū est, si in eū locū nihil ex cælo aquæ veniat. neq; n. perpetuā causam habet, quod manu fit. At quod ex cælo cadit, etsi nō assiduè fit, ex naturali in causa fit, & ideo perpetuò fieri existimatur. Omnes autē seruitutes prædiorū perpetuas causas habere debent: & ideo neq; ex lacu, neq; ex stagno cōcedi aquæductus potest.* Hactenus legis verba. Lōgè verò ab istius legis intellectu abfuit Accursius, tametsi ceteri ei assentiātur. Ait. n. quòd per foramè illud mittebatur aqua ex vicini fonte in pavimētum quibusdam temporibus: quod à veritate alienum esse palam est. Nam primū, si ex fonte aqua in pavimētum duceretur, profectò seruitus perpetuam causam haberet: siquidem fontem perpetuam causam habere constat. l. i. ff. de fonte. Deinde eo casu non quæreret Iurisconsult. an fluminis esset seruitus, sed an aquæductus. Inter has enim illa est differentia, quòd Aquæductus dicitur, quando nos per alienum prædium in nostrum prædium alicunde aquā

du

ducimus: Fluminis verò seruitus, quando ex nostro prædio in alienum prædium aquam mittimus. §. 1. Institut. de serui. l. Fistulas. ff. si serui. vend. l. penul. ff. de seruitu. Ad hæc illa Accursij interpretatio minime quadrare potest verbis sequentibus. *Hoc ita verū esse, si in eum locum nihil ex cælo aquæ veniat.* Atque de hoc hactenus. Illud verò scitum, quod idem Accursius scribit, flumen in illa lege accipiendum pro ligno excauato, in quo colligitur aqua pluuiatilis, vel alia naturalis, quæ tamen semper fluat. Quis etenim vnquam fando flumen in hanc significationē accepit? Sed neque verum est, quod Longouallius, acutissimus alioqui vir, putat in l. Imperium. 4. par. Flumen in illa lege accipiendum pro canali, seu fistula. Quid ergo? Planè flumen in illa lege accipitur pro seruitute fluminis. Flumen enim inter urbanas seruitutes numerari certum est. §. 1. Institut. de seruit. l. pen. de seruitu. l. Fistulas. ff. si serui. vend. Quando igitur Iurisconsult. in illa. l. Foramē. de seruitutibus agit: non est dubitandum quin de seruitute fluminis loquatur. Ex his igitur satis apparet, quare aqua illa, quæ per foramè illud emittebatur in vicini prædiū, perpetuam causam non haberet, quia scilicet manu hominis fiebat. Verū, vt ex omni parte illius legis Foramen. expositioni inseruiamus: placet dispicere quamobrem lacus & stagnum perpetuam causam ad aquæductum non habeat. Quod quidè non inuitus faciam, cū videam Scriptores hunc locum, & per functoriè, & minùs rectè tractasse. Et sanè, quòd ad stagnum attinet, in promptu ratio est: quia stagnum temporalem habet aquam ibidem stagnantem, quæ

C 2

ple-

plerunq; hyeme colligitur. l. i. §. Stagnū. ff. vt in flumi. publi. & tradit latē Boërius Confil. 24. n. 2. Atq; proinde in stagno, neque aquæ haustus, neq; nauigij, alia ve seruitus constitui potest. vti non obscurē declarat Iurisconf. in. l. Via constitui. §. i. ff. de serui. rusti. præd. & in. l. i. §. Stagnum. ff. vt in flumi. public. Verūm quod ad lacum attinet, mirum videtur eum non habere perpetuā causam: nam lacū perpetuā causam habere testatur Iurisconf. in. l. i. §. Lacus. ff. vt in flumi. public. *Lacus* (inquit) *est, qui perpetuam habet aquam.* Sed facillimē hanc tibi difficultatem profligabimus. Sanē idcirco lacus ad aquæ ductum perpetuam causam nō habet, quia licet eius aqua perpetua sit, attamen suos semper fines retinet, eosdemq; perpetuō terminos seruat ita, vt perpetuō ex eo aqua duci non possit. Hoc quidem tum cognoscet is, qui lacuum naturam cognouerit: tum significat Martialis illis carminibus.

Li. 9. Epigrā.  
102.

*Multum (crede mihi) refert, à fonte batur,  
Qui fluit, an pigro quæ stupet vnda lacu.*  
Sed quid foris testimonia petimus, cum domi habeamus? Idem enim aperte ostendit Iurisconf. in. l. Vicinus. §. Lacus. ff. de aqua pluui. arcend. & in. l. Lacus. ff. de acqui. rerum domin. *Lacus* (inquit) *et stagna, licet interdum crescant, & interdum exarescant: suos tamen terminos retinent. adeoq; in his alluionis ius non agnoscitur.* Hęc Iurisconf. Sicuti igitur ex puteo aquæ ductus seruitus constitui non potest, similiter neq; in lacu: quia isto rum illa est conditio, vt perpetuō inde aqua duci nō possit. cuius rei ipsummet Iurisconsultum interpretem habemus in. l. i. §. Loquitur. ff. de aqua quotidiana.

&

& æsti. ita scribens: *Loquitur autem Prætor in hoc interdictione de ea aqua sola, quæ perennis est. Quamquam autē ad perennes aquas dixerimus hoc interdictum pertinere: ad eas tamen perennes pertinet, quæ duci possunt. Ceterum quedam aqua sunt, quæ etsi perennes sint, duci tamen non possunt, vt putæ puteales, & quæ ita submersæ sunt, vt defluere extra meatus suos, & sui esse non possint.* Vides Iurisconfulti verba, vt mirū in modum nostram sententiā confirment? Sed neque ad rem pertinet, quod lacus interdum crescant, vt probatur in. l. Rutilia Polla. ff. de contrah. empt. Nam illud quidem ex accidenti contra ipsius lacus naturam contingit: & ideo talis inundatio perpetuā causam ad aquæ ductum habere non potest. Naturali enim causa & perpetua, non accidentalis spectanda est. l. 3. ff. de tutelis. Sed neq; monet. l. i. §. Caput. ff. de aqua quotid. vbi significatur ex lacu duci aquam. nā loquitur de lacu fluminis: nos verò loquimur de lacu terrestri, qui non exit à flumine, sed per se extat. Quamquam verò in lacu aquæ ductus seruitus constitui non possit: possunt tamen nauigij, aquæ haustus pecoris ad aquam appulsus, seruitutes constitui. l. Via constitui. §. i. ff. de seruitu. rusti. præd. l. i. ff. de fonte. cuius rei eam constat esse rationem. Quia cum lacus perpetuam habeat aquam: vñ istarum seruitutum (quas dixi) perpetuō in eo haberi potest. æquē etiam in puteo, licet aquæ ductus seruitus constitui non possit, poterit tamen aquæ haustus seruatus constitui. l. i. §. Loquitur. ff. de aqua quotid. Et hæc sanē est verissima iuxtaq; planissima istarum legum interpretatio. Quam lōgē verò nostri Interpretes in hac re à veritate abfuerint, longum esset recensere: tu ip-

C 3

le,

Verbo essen-  
tia utitur Plau-  
tus, & probat  
Quintil. lib. 3.  
c. 7. dicens, nō  
esse aliud eius  
nomen Latini-  
um.

se, si libet, poteris ex eorum scriptis colligere. Hæc à nobis tam longo sunt repetita sermone, ut intelligas in illa. l. Foramen. nequaquam probari distinctionē illam seruitutum continuarū & discontinuarū. Vt enim vides, Iuriconsultus generaliter definit omnes seruitutes ad sui essentiā (ut Plautino verbo utar) necessariō perpetuam causam habere debere: alioqui negat seruitutes esse; & consequenter neq; concedi posse, neque tempore adquiri. Illud igitur quod Iuriconsulti tradunt, tempore diuturno (id est, quod hominum memoriā excedat) seruitutes quasi constitui. l. Hoc iure. §. Ductus aquæ. ff. de aqua quotid. & asti. cū similib. procedet sanē, si modō seruitutes perpetuam causam habeant: nam alias neq; concedi possunt, neq; vllō tempore adquiri. ut docet Iuriscōsul. in. d. l. Foramen. De cuius intellectu satis dictum est. Modō ad interpretationem legis Seruitutes. 4. ff. de seruitut. accingamur: cuius hæc sunt verba: *Seruitutes rusticorum prædiorum, et si corporibus accedunt, incorporales tamen sunt, et idcirco usui non capiuntur: vel ideo, quia tales sunt seruitutes, ut non habeant certam continuamq; possessionem. neminem tam perpetuō tamq; continenter in possessione, in nullo momento possessionis interpretari videatur. Idem et in seruitutibus urbanorum prædiorum observatur.* Et profectō neq; hic Interpretum distinctio probatur. In hæc etenim lege ait Iuriconsul. seruitutes usufructu non posse, cuius rei duas rationes reddit: vel quia incorporales sint, vel quia non habeant certam continuamq; possessionem. Illam autem priorem latè patere, omnesq; seruitutes in vniuersum comprehendere, nullus quidem Interpretum in hæc ius ibi. Eas enim omnes

nes incorporales esse, certo certius est. §. 1. Instit. de rebus corpo. & incorpo. Igitur et si altera ratio generalis non esset: adhuc tamen generaliter Iuriconsulti sententia esset recipienda, videlicet, seruitutes omnes usufructu non posse. Nam quando in lege sunt plures rationes: satis est vnam locū habere, et si reliquæ desiderentur. §. Affinitatis. Instit. de nupt. Libero- rum. §. Notatur. ff. de ijs, qui notan. infam. Bart. in. l. Regula. §. Si quis. ff. de iuris & facti ignoran. Deinde neque illa secūda ratio quidquam iuris Interpretibus suffragatur: nam imō in ea Iuriscōsul. videtur sine distinctione aliqua definire seruitutes omnes nō habere certam continuamq; possessionem, quod & apertius ostendunt illa postrema legis verba: *Idem et in seruitutibus urbanorum prædiorum observatur.* Seruitutes enim urbanorum prædiorum pleraq; causam habere continuam & ipsi Doctores fatentur. Itaq; neq; in priori posteriori ve ratione, neq; in tota hac lege Authorum distinctio probatur. Omitto hic referre argumentum. l. Hoc iure. §. Ductus aquæ. ff. de aqua quotid. & asti. quo quidem in suam distinctionē Interpretēs vtuntur: nam imō illa lex eis palam aduersatur, nedum suffragetur, cū in seruitute aquæ ductus loquatur, quam & ipsi continuam appellitant, itaq; ipsi suo (ut aiunt) gladio iugulantur. Planè hæc continuarum & discontinuarum seruitutum distinctio nempe antiquis traditam, & ante nos quoq; quidā ex recentioribus exploderunt. ut Longouallius in. l. Imperium. 4. par. & Eguinarius, in. §. 1. Instit. de seruitut. & iterū in. d. l. Seruitutes. 4. ff. de seruitut. Ibidemq; Corrasius. Ludouicus quoq; Charonda, verisimiliū loq

libr. i. ca. 14. Sed mehercle neq; isti quidem huius rei scopum omnino attigerunt: nam aiunt omnes seruitutes generaliter decē vel viginti annis quasi vsucapi, ita intelligentes. l. si. C. de præscr. long. tempo. & l. i. ff. de aqua plu. arcēd. & l. Hoc iure. ff. de aqua quotid. & æsti. & similes: quod à veritate longè abhorre re facillè intelliget quisquis ea, quæ tradidimus, paulò attentius perceperit. Enim verò illa lex finalis. C. de præscr. long. tempo. nō de vsucapione loquitur, sed de temporali præscriptione, quæ diuersa esse supra mōstrauimus. Cæteræ verò leges, quibus cōprehensum est, tempore diuturno seruitutes constitui, quod in tēpore hominum memoriā excedēte loquātur, ostendit apertissimè illa. l. Hoc iure. §. Ductus aquæ. ff. de aqua quotid. & æsti. cuius verba tā aperta sunt, vt recentiorum Interpretum cauillationes nequaquam patiantur. Hæc etenim sunt. *Ductus aquæ, cuius origo memoriā hominum excefferit, iure constituti loco habetur.* Sed dixeris: Agedum si longi tēporis præscriptione seruitutes adquiruntur, quid (quæso) opus est diuturno tempore, seu quod hominum memoriā excedat? At ex his, quæ supra tradita sunt, respōsum habes: nam ex longi temporis præscriptione nequaquā actio paratur, sed tantum exceptio: quoniam, vt satis dictum est, præscriptio nihil aliud est, quàm exceptio. Quapropter si is, qui longō tēpore seruitute vsus sit, quasi possessionem amiserit: longi temporis præscriptio nihil ei proderit. quoniam ad agendum nihil valet, sed tantum ad excipiendum. At si quis tempore diuturno seu immemorabili (vt vocāt) vsus sit seruitute, quia tunc seruitus quasi constituitur, et si pos

possessionem amiserit, nihilominus vtilem habet actionem, scilicet confessoriam, qua experiri possit. vt declarat Iuricons. in. d. l. i. §. si. ff. de aqua plu. arcēd. & in. d. l. Si quis diuturno. ff. si serui. vendi. Et quoniam hæc iam forsā multus videbor, rem in pauca conferēs, explosa illa cōmuni veterum Interpretum distinctione inter seruitutes continuas & discontinuas, quippe quæ nullo iure probetur: tenendum est, seruitutes vsucapi non posse. Sed si quis vsus fuerit seruitute per tempus, quod hominū memoriā excedat, iure ipso seruitus quasi cōstituitur. quod si quasi vsucapionem vocare velis, nō repugno. At in seruitutibus habet locum longi temporis præscriptio, id est, actiones pro seruitutibus competentibus, scilicet confessoria vel negatoria: decem vel viginti annorum præscriptione, exemplo rerum immobilium repelluntur. Hæc sanè, quod ad ius commune attinet, & verissima sunt, & planissimè procedunt: quod verò ad nostrum ius Regium attinet, consule. l. 15. tit. 31. Pars. Atque iam ad aliam differentiam accedamus.

### §. NONVS.

*Vsucapio titulum postulat & bonam fidem, præscriptio bonæ fidei tantum. n. 32.*  
*Intellectus ad. l. Diutina. & l. Neque petentem. C. de præscrip. & long. tempo. n. 33. & 34.*  
*L. vna. C. de vsucap. transforman. explanatur. n. 35. & 36.*

C5 QVO

**Q**UONIAM ex superioribus iam vobis (vt cō-  
 iugio) periuasum erit, longē inter vsucapionem  
 & temporalem præscriptionem interesse: iam ausim  
 ad illam differentiam accedere, quæ quidem (vt om-  
 nia turbata sunt) monstri similis, videretur, si dicta  
 non precessissent. In illo igitur vsucapio & tempora-  
 lis præscriptio maximè & præcipuè dissentiūt, quòd  
 in vsucapione titulus postulatur, & bona fides: atqui  
 in præscriptione temporali etiam longi temporis,  
 scilicet annorum, vel. 20. annorum, titulo opus non est, sed  
 tantum bona fides sufficit: licet hætenus contrariū  
 omnes tam veteres quàm recētiores sibi periuasum  
 habuerint. A quibus ipse dissentire temerarium iu-  
 dicarem, nisi in hanc sententiam plurima iuxtaq; a-  
 pertissima legum argumenta viderem. Enimvero si  
 cuti omnia iura apertissimè demonstrant, sine titula  
 vsucapionem contingere nō posse. l. Celsus, ff. de  
 vsucap. l. Nullo. C. de rei v. d. & in princip. Instit. de  
 vsucap. deniq; ipsi tituli sunt per proprias & diuersas  
 rubricas distributi, tam in Digestis quàm in Codi-  
 ce, veluti pro soluto, pro emptore, pro donato, & cæ-  
 teri: Sic etiam nunquam vlla lex est, quæ titulū ad tē-  
 poralem præscriptionem pōscat, sed tantum bonam  
 fidē in longi temporis decem vel viginti annorum  
 præscriptione desiderant: nam in longissimè etiam  
 mala non nocet. In hanc sententiam est in primis. l.  
 Longi temporis. C. de præscri. long. tēpo. cuius hæc  
 sunt verba. *Longi temporis præscriptio is, qui bona fide acce-  
 tam possessionem, & continuatam, neq; interruptam, inque-  
 tudine iuris tenuerunt, solet patrocinari.* Idem probat. l. vni-  
 ca. C. de vsucap. transfor. l. r. & l. Emptor. & l. Neq;  
 bona

bona fide. C. de præser. long. temp. l. Cum hæredes.  
 ff. de diuers. & temporal. præscrip. l. Si fundum. ff. de  
 fundo dotali. Videamus tamen, an sit aliquid, in quo  
 Interpretum error innitatur: & sanè duæ sunt leges,  
 quæ prima facie videntur communi opinioni faue-  
 re. l. Diutina. & l. Neq; petentem. C. de præscr. long.  
 temp. quas tamen nihil nobis obstare breuiter osten-  
 33 dā. Illius enim prioris hæc sunt verba: *Diutina posses-  
 sio tantum iure successionis sine iusto titulo obtenta, prodesse ad  
 præscriptionem hac sola ratione non potest.* Primum enim il-  
 la lex nequaquam Interpretum probat opinionem,  
 ait enim, ius successionis ad præscriptionem non pro-  
 desse, & tamē certum est titulum successionis, id est  
 pro herede, titulum efficacem ad vsucapionem esse,  
 vt vel ipsi tituli. ff. & C. pro herede significant. De-  
 inde illa lex non est accipienda vt volunt Interpre-  
 tes, sed illud tantum vult dicere, Diutinam possessionem  
 sine iusto titulo, id est, cum mala fide & impro-  
 bo iniustoq; titulo obtentam, successori nihil pro-  
 desse, quia nempe Authoris mala fides successori no-  
 cet, §. Diutina. Instit. de vsucap. l. Pomponius. §. r. ff.  
 de adqui. posses. Alterius verò legis verba hæc sunt:  
 34 *Neq; petentem dominium ab eo, cui petentis solus error causam  
 possessionis sine vero titulo prestitit, silentij longi tēporis præ-  
 scriptione repelli, iuris ceterumnsimi est.* Quæ quidem verba  
 nequaquam eò pertinent, vt titulum verum ad lon-  
 gi temporis præscriptionem postulent, sed illud sa-  
 nè volunt, agenti cōditione indebiti, longi tempo-  
 ris præscriptionem nō nocere. Quòd autem illic cō-  
 ditione indebiti agatur; satis apparet dum ait, *Neq;  
 petentē dominium.* Nō igitur actione in re experiebatur,  
 quippe

quippe quæ dominium habenti competit, sed conditione indebiti agebatur, quia errore dominium traditum fuerat. Cum itaq; conditio indebiti personalis sit actio. & §. Sic itaq; & §. Appellam. Insti. de actio: rectè definit Imperator longi temporis præscriptionem non nocere, quia scilicet. 30. annorum: præscriptione opus erat. l. Indebiti. §. 1. ff. de cōdit. indeb. l. 2. C. de constitu. pecun. Cum igitur in istis duabus legibus Interpretum sententia nō probetur, & reliquæ omnes leges apertissimè significēt ad longi temporis præscriptionem titulum necessariū non esse, sed tantū bonam fidem sufficere: nemo sanè erit, si modò nō sese iam totum iuris Interpretibus deuouerit, in eorumq; uerba iurauerit, qui hanc nostram conclusionem nō amplectatur & probet, nosque rem acu (vt dici solet) tetigisse fateatur.

#### §. DECIMVS.

**S**VPRA DICTAE differentiae à nobis traditæ, tā apertissimè ex ipsis legibus ac toto pene iure cōprehēduntur, atq; ita inter sese omnes cōueniūt, sibiq; mutuò respōdent: vt crediderim neminē fore, qui modò ueritate ipsa flectatur, quique magis legū decisionibus, quàm nostrorum Scriptorum opinionib; parēre in animū induxerit, qui nō cōcedat errasse Interpretes in illarū legum interpretatione, quique nouo genuinoq; legū intellectu non gestiat, nobisq; tanquā huius ueritatis assertoribus grauletur. Verūm quoniam Interpretes aiunt hanc suā usufruptionis & tēporalis præscriptionis differentiā pro-

probari in. l. vnica. C. de usufru. trāsform. (per eam enim contendunt usufruptionem ad res mobiles, præscriptionem uerò tēporis ad res soli redactam fuisse) oportet illius legis intelligētiam paucis aperiamus. Et planè nequaquam Interpretes illius legis intellectū assecuti sunt. In primis etenim, quamuis illis donarem in hac lege suam differentiā probari: atqui non uident crimen esse, anteriores leges, quas abrogatas esse aiunt, tanquam si abrogatæ nō essent, secundū abrogantis legis tempus interpretari? Deinde longè à uerò alienum est, quod aiūt, istam legem unicam usufruptionem à rebus soli abstulisse, ad resq; tantū mobiles coarctasse. Enim uerò hæc lex dūtaxat tempus atq; locum in usufruptionibus antea præfinita inmutat, atq; transformat: cætera sicuti antea uigebant, in sua uia, suaq; potestate reliquit. Tēpus quidē mutauit: nam cum antea anno res mobilis, biennio res soli usufruoperentur: ne tam iniquis spatijs domini suarum rerum iacturam facerent: longiora tēpora usufruptioni proferre decreuit: statuitq; mobiliū usufruptioni triennium, immobilium uerò tribuit tēpora, quæ temporalibus præscriptionibus constituta erant. Loci autem mutationem fecit: nam cum olim usufruptione rerum immobilium in prouincijs nō procederet, sed in Italia tantū: definiuit, ut etiā usufruptione rerum immobilium in prouincijs locum haberet. Hunc uerò esse uerissimum illius legis intellectū apparet, cum ex tota huius legis serie, tum ex §. Per præsentē, dum ait, *huiusmodi angustijs penitus seruatis.* & paulò post, *minuitur autem usufruptionum compendiosa ac minus iactura.* Vnde arguit angustias tantū temporū breuita-



uitatemq; sustulisse. Cùm igitur in reliquis nihil immutatum sit, vt quid temere legum correctioni indulgemus, iuris regula etiam aduersante. l. Præcipimus. C. appella. l. Si quando. C. de inoffi. testam. Et medijsfidius hoc verum esse, scilicet locum tempus que vsucapionis per illam legem vnicâ immutationem recepisse, palàm & apertissimè ostendit Imperator in. §. i. Instit. de vsucap. quo loci cùm Iustinianus illius legis transformationem referat, verbis nõ obscuris ostendit hanc duntaxat loci temporisque metamorphosin induxisse. Quamobrem igitur in re tam aperta caligant Doctores, vbi ipsummet legislatorem sui ipsius interpretem habere cõtingit? Et vti que cùm hanc legem ita accipiendam existimarem: reperi postea idem sensisse Dominum Couarru. & Eguina. ille in regu. Possessor. i. par. §. vnicò, hic in tit. de vsucapio. in princip. Quo quidè nomine meo ingenio gratulatus sum, quòd tantorum virorum acumini respõdisset. Vt igitur huius loci finis sit, hoc tantum per illam legem vnic. de vsucap. trãsfor. immutatũ fuit: quòd sicuti olim erat vsucapio anni & biënij: ita hodie est vsucapio triënij, decem, viginti, & 30. seu. 40. annorum. si quidem tempora, quæ antea temporalibus præscriptionibus constituta erant, vsucapionibus quantum ad res immobiles communicata sunt. Igitur vsucapio decem vel viginti annorũ, hodie procedit cum titulo & bona fide in rebus nẽpe soli seu immobilibus: Vsucapio verò. 30. vel. 40. annorũ habet locum, quando quis bona fide tantũ sine titulo possidet. vt declarat bellissimè Iustinianus idè in. l. Si quis emptionis. C. de præsc. 30. vel. 40. ann.

ann. Quæ quidè lex (vt ipse auguror) facta data opera est ad interpretationem illius legis vnic. C. de vsuc. trãsfor. Et procul dubiò de hac triginta annorũ vsucapione est accipiendus text. in. Auth. Nisi tricennale. C. de bonis mater. quæ per hoc. 30. annorum spatium scribit possidentes dominos effici: etenim de vsucapione loquitur, non de temporali præscriptione, cùm temporalis præscriptio dominium non producat: velut in principio satis superq; mōstrauimus. Cùm igitur vsucapioni locus ac tempus per illam legem vnicâ tantum immutata sint: simul apparet Interpretũ error, & simul constat differetias superiũs à nobis traditas inter vsucapionem & tẽporalẽ præscriptionem verissimas esse, atq; vt olim, ita etiã et hodie durare, suamq; vim retinere. Igitur neq; temere neq; inutiliter horum nominum differentiam dispiciendã assumpsimus: vt enim vides, ex hac vna scintilla multos difficilesq; legũ sensus hactenus obtrusos, Doctoribusq; incognitos, iuxta verissimè facillimèq; patefecimus. ex hac vna scintilla non paucos Interpretũ errores conuicimus. ex hac vna scintilla magnam alioqui legum repugnantiam profligauimus. Vsq; adeò ad res difficiles intelligendas principia vel leuia non ignorasse prodest, vel ignorasse nõcet.

### §. VNDECIMVS.

*Actiones reales ac personales in rescriptæ, mixtæque quanto tempore præscribantur. n. 37.*

*Intellectus. l. Hereditatis. C. de petit. hered. n. 38.*

*Intellectus. l. Hereditatem. C. in quibus caus. cessat lög. tempo. præf*

*præscrip. restituitur. n. 38.*

*Intelligentia legis Regiæ exponitur. n. 40.*

*Iuri exequendi ex obligatione personali cōpetenti decennio præscribitur. n. 41.*

*Superioris conclusionis ampliaciones, & exceptiones. n. 41. cū sequent.*

*Actio personalis & res iudicata, viginti annorum præscriptione explorantur, cum suis ampliacionibus & limitationibus. n. 47. cum seq.*

*Quoties obligationi hypotheca accesserit, debitum nisi. 30. annorum præscriptione. n. 51.*

*Fines Comitatum, cæterarūque id genus dominationum, præscriptione temporis non adquiruntur. n. 52.*

**P**OSTQVAM igitur satis superque vsucapionis & temporalis præscriptionis differentiam naturamque perscrutati sumus: iam ratio postulare videtur, vt ad promissam legis Regiæ interpretationem accingamur. Eius autem hæc sunt verba.

*¶ El derecho de executar por obligacion personal, se prescribe por diez años: y la acción personal y la executoria dada sobre ella, se prescribe por veynete años, y no menos. Pero donde en la obligacion hay hypotheca, ò donde la obligacion es mixta personal y Real: la deuda se prescribe por treynta años, y no menos. Lo qual se guarde sin embargo de la ley del Rey D<sup>o</sup> Alonso nuestro progenitor, que puso, que la acción personal se prescribiesse por diez años.*

Sed ante omnia, ad huius legis faciliorem intelligentiam, dispiciendum nobis est; quanto tempore actionibus in hac lege contentis antiquo iure præscribere-

criberetur. Sciendum est igitur antiquo iure actiones reales decem vel viginti annorū præscriptione cum bona fide scilicet, repelli. l. fi. C. de præscr. lōg. tempo. tantundem erit, si actio fuerit in rem scripta. l. 3. C. quod metus causa. Tiraq. de retract. linag §. 1. gl. 10. n. 14. Actiones verò personales. 30. vel 40. annorum præscriptione excludebantur. l. 2. C. de cōst. pecun. l. 1. §. Ad hæc. C. de annali excep. l. Neq; mutui. C. quib. non obij. long. temp. præscr. cuius hæc sunt verba: *Neq; mutui, neq; commodati, aut depositi, seu legati, vel fidei commissi, vel tutelæ, seu alij cuiuslibet actioni personali longi temporis præscriptione obijci posse, certi iuris est. Quod si actio mixta sit, triginta etiam annorum præscriptione opus est. l. fi. C. finium regund. l. Vnus. C. in quib. caus. cessat long. tempo. præscr. Hinc est quamobrem aduersus petitionem hæreditatis. 30. annorum præscriptione opus sit. l. Hæreditatis. C. de petit. hæred. l. Hæreditatem. C. in quib. caus. cessat long. tēp. præscrip. quia scilicet hæc actio habeat actionem personalem mixtam cum reali. l. Sed & si lege. §. Petitio. ff. de petit. hæred. quam ratione expressim reddidit Imperator in dicta. l. Hæreditatis. C. de petit. hæred. Cum enim dixisset, Hæreditatis petitionem nõ nisi. 30. annorum præscriptione repelli, ita subiecit: cum mixtæ personalis actionis ratio nos ita respondere compellat. Vnde miror qua fronte Accursius, cæteri q; Imperatorem taxent, aliamq; rationem querant. Quorum enim attinet rationem nominatim ab ipso legislatore scriptam respuere, aliaq; à veritate alienas magnis cum sudoribus comminisci? nisi illud est, vt dum Iurisprudendum prudentiam vince*

D re

re certant, suam prodant imprudētiam? Adde quòd neq; illa ratio ab ipsis Scriptoribus excogitata, quidquam in se fundamēti habet, vti acutè suo more notat Dominus Couar. pract. quæst. .c. 12. n. 2. Non minus etiam culpandi sunt Accursius, ceteriq; Interpretes, qui in dicta. l. Hæreditatis. C. de petit. hæred. & in. l. Hæreditatem. C. in quibus caus. cessat long. temp. præscr. notant, quoties petitio hæreditatis datur aduersus titulo possidentem, repelli eam decem vel viginti annorum præscriptione. Quæ interpretatio tam longè ab Imperatoris sensu abest, vt nò tam videantur Interpretes leges interpretari velle, quàm nobis imponere, & (vt aiunt) puluerem ob oculos offundere. Planè in illis legibus non agebat hæres petitione hæreditatis, sed specialibus in rem actionibus: quia reus non pro hærede vel possessore, sed alio titulo singulari rem hæreditariam possidebat, & idcirco ab eo successio vendicari non poterat. Si igitur petitione hæreditatis ageretur, siue aduersus possidentem pro hærede vel possessore, siue aduersus possidentem hæreditatem alio titulo vniuersali, in quo casu utilis petitio hæreditatis datur. vt in. l. Etiam. §. Si quis. ff. de petit. hæred. dicendum est ex eiusdem legis ratione, quia scilicet ab eo successio vendicari potest. 30. annorum præscriptio opus esse. Ecce igitur quàm iniqua est illa Scriptorum interpretatio. Neq; profectò quidquam eis suffragatur. l. fi. C. de edict. diui Hadri. toll. cuius vnus argumento hæc suam opinionem tueri volunt: nam illè tex. nihil immutat ex ijs, quæ antea statuta fuerāt, quinimò ad priora iura se refert. atq; ita secundùm iura anteriora illà legē

legem acceptum iri scribit ibidem Iaso ad calcè. Nequaquam etiam ferendus est Accursius, qui in. d. l. Hæreditatem. scribit, eum, qui iusto errore se credat hæredem, cum non sit: hæreditatis petitioni decennio præscribere posse. In cuius quidè sententiã omnes vno consensu Interpretes, tanquam si aduersus veritatem conspirauerint, pedibus ierunt. Enimvero, sicuti omnes leges aperte demòstrat, petitioni hæreditatis, quæ aduersus pro hærede vel possessore possidentem cõpetit. 30. annis, non minori spatio præscribita eadem apertissimè demonstrant, eum pro hærede possidere, qui putat se hæredè esse. l. Pro hærede. ff. de petit. hæred. §. Adipiscenda. Instit. de interdict. Ergo omnis, qui pro hærede possidet, iusto errore possidet; alioqui non se hæredem putaret. Ex profectò igitur videntur Interpretes aduersus illa iura niti. Generaliter igitur tenendum est, omittis Authorũ huiusmodi cõmentis, aduersus petitionem hæreditatis, siue directã, siue vtilem. 30. annorum præscriptionem admitti. sicuti non obicure ostendit Imperator in. d. l. Hæreditatis. C. de petit. hæred. & l. Hæreditatem. C. in quib. caus. cessat long. tempo. præscr. Quod autem ad ius Regium attinet, non immoror (lege tu) in l. si. tit. 14. Part. 6. Præterea sciendũ est, ius exequendi, quod ad ius antiquum attinet, non tolli nisi 30. annorum præscriptione. gl. si. in. l. si. C. de præscrip. 30. vel 40. anno. Bald. in rubr. de præscrip. & in. l. Debitori. q. 3. C. de pact. Balbus de præscrip. 4. par. 4. princip. q. 31. Maranta in Speculo aureo, titul. de executione. numer. 54. Quantum verò ad hypothecariæ actionis temporalem præscriptionem attinet, quid antiquo

iure definitum fuerit, legere licet. l. Cum notissimi. C. de præscr. 30. vel. 40. annor. & l. 1. & 2. C. si aduers. cred. præf. long. temp. opp. l. 27. tit. 29. Partit. 3. & eam rem quinque conclusionibus bellissime absoluit Balbus de præscript. 4. par. 4. princip. §. Tertio principa liter. His igitur tanquam fundamentis iactis, iam ad ipsius legis Regiæ interpretationem accedere possumus. ¶ In primis autem admonendi sumus, non mediocrem inter Interpretes dissensionem esse, vtrum eiusmodi leges debitum temporali præscriptione excludentes, validæ sint, nec ne. Mouet quæstionem, quod ius Pontificium, cui in materia peccati standum est, huiusmodi leges præscriptionem cum mala fide introducentes damnet, ac explodat. c. Vigilanti. c. si. de præscrip. c. Si virgo. 34. q. 2. In hac autem quæstione in duas veluti classes Doctores partiti sunt: alij huiusmodi leges eleuantibus, alij contra efferentibus. Et, si dijs placet, eò ventum est, vt non desint qui vtrâque opinionem communem testentur. sicuti videre licet apud Balbum de præscrip. 2. par. 3. princip. q. 13. Parisium in additio. ad Bartol. in l. Omnes populi. ff. de iust. & iur. Do. Couarru. in d. reg. Possessor. 2. par. §. 11. Auenda. in cap. Correct. 2. part. c. 30. n. 11. Mincha. de success. creat. lib. 1. §. 10. n. 26. & Ioan. Gutteri. in repet. l. Nemo. ff. de lega. 1. n. 476. & Didac. Perez in. l. 3. 40. tit. 13. lib. 3. antiq. ordin. Ex quorum sane scriptis (vt summam dicam) apparet magis communem esse opinionem, similes leges æs alienum lapsu temporis excludentes nullius esse momenti: contrariam tamen opinionem, scilicet has leges in foro fori seruandas esse, vsu moribusque esse receptam: quo circa huic posteriori

steriori opinioni in foro fori magis standum esse videtur, si quidem duabus opinionibus inter se pugnantibus sequenda est illa magis, cui consuetudo supragabitur, tamen si contraria sit magis communis. Grego. Lopez, qui alios refert in l. 53. tit. 6. Par. 1. Syltanti pt. li. 5. n. 64. In foro verò poli. tales leges nullam vim habent, nisi modò bona fides præscribenti adsit. quod quemadmodum contingere possit, exemplis demonstrat Minchaca, loco superiori, n. 31. & Oroscius in l. Omnes populi. n. 73. ff. de iust. & iur. & Dñs Padilla in l. 1. n. 44. C. de seruitu. & aqua. Illud tamen vno ore fatentur omnes, similes leges valere, quatenus inducunt præscriptionem temporalem aduersus ius exequendi. Hanc enim præscriptionem aduersus ius exequendi, etiam cum mala fide procedere concedunt vbiq; omnes.

#### §. DVODECIMVS.

SED propius ad legis ipsius intelligentiam accedendo, meminisse oportebit huius Taurinæ legis sensum hactenus ancipitem aliquantum fuisse, siquidem ante hanc nouam editionem, iurisque Regiæ enucleationem, in discrimen adduci solebat, an per istam legem Taurinam esset abrogata lex illa Regis Alfonsi, quæ erat. l. 3. tit. 13. lib. 3. antiq. ordin. quæ cauebatur actionem personalem decem annis præscribi. Et quibusdam sane placuerat, illam legem Alfonsi antiquam esse, existimantibus omnino actionem personalem (sive per se extaret, sive cum iure exequendi coniuncta) non minori tempore viginti annorum præ-

scrib. Ex diuerso verò pleriq; omnes ex nostratibus. Scriptoribus existimabant illam legem abrogatam non esse, affirmantes legem istam Taurinam (quatenus definita actione personalē, & ius exequēdi, vigin- ti dūtaxat annis præscribi) procedere, cum actio per- sonalis erat coniuncta cum iure exequēdi: legē verò Regis Alfonso accipiēdam, cum actio personalis ex- tabat simpliciter sine iure exequēdi, vt viderelicet apud omnes Interpretes in. d. l. 63. Tauri. & Domi- nus Couar. in reg. Possessor. 2. par. §. 11. n. 2. Mincha- ca. lib. 1. de succes. creat. §. 10. n. 31. Didac. Perez in. l. 3. & 4. tit. 13. lib. 3. antiq. ordin. Igitur ad dirimendam huiusmodi controuersiam, adiecta nunc denuo isti legi fuerē illa postrema verba, quibus definitur illam Regis Alfonso legē abrogatam esse: quo circa illam à toto hoc nouo legum Regiarū volumine expūctam videtis. Dum ergo hæc lex definit illam legē Regis Alfonso antiquatam esse, aperte significat actionem personalem omnino viginti tantum annorū spatio præscribi, neq; referre an ea per se extet, an cum iure exequēdi coniuncta, approbata nempe illa quorū- dā opinione, ac explōsa illa alterā cōmuni Interpre- tum sententia, qui (vt dixi) cōmuniter contrariū scri- bebant. Ex quo cernere facile erit, iuris quā instabi- bilis sit & lubrica cōditio, id quod nos in Procmio querebamus. Verū, vt res magis dilucidè procedat, per singulas quasq; Cōclusiones figillatim pcedem⁹.

¶ Prior igitur istius legis Cōclusio hæc est. Ius exe- 41  
quēdi ex obligatione personali cōpetens, decennij  
præscriptione tollitur. Procedit autem hæc Conclu-  
sio, etiam si debitor in mala fide fuerit. Nam (vt pau-  
lō

lō antè diximus) omnibus placet hanc præscriptio-  
nē aduersus ius exequēdi locū habere, tametsi debi-  
tor sibi conscius sit. Anto. Gomezius hīc, & Balbus  
de præscrip. 2. par. 3. princip. q. 13. n. 8. qui alios refert.  
Pertinet deinde hæc Cōclusio ad Clericum, Eccle-  
siam ve; qui, quæ ve peteret executionem alicuius in-  
strumenti guarentigij (vt vocant) authore Baldo in  
l. De quibus. q. 6. ff. delegibus. & ibidem Iaso, n. 12. &  
notat expressim Greg. Lopides siue Lopez, raræ sanè  
prudentiæ vir, deq; iure nostrō benemeritus, in. l. 22  
tit. 29. Par. 3. Insuper hæc Cōclusio locum quoq; ha-  
bebit in annuis redditibus, ex stipulatione vel contra-  
ctu debitis: nam si nihil pensionis intra decennium  
totum solutum fuerit, præscribetur ius exequēdi,  
non modò pro præteritis annis, sed etiā pro futuris.  
est enim eo casu vna obligatio tantum, idcircoq; vna  
tantum præscriptio sufficit. gl. in. l. Cum notissimi.  
§. si. C. de præscrip. 30. vel. 40. ann. quam communè  
testatur Balb. de præscriptione. 4. par. 4. princip. q. 4.  
& Boërius decis. 336. & Ant. Gomez de qualitatibus  
cōtract. n. 44. Proinde si is, in quē executio facta fue-  
rit, allegauerit iuris exequēdi præscriptum fuisse,  
quia intra decennium nulla pensio soluta fuerit, cre-  
ditorque contrarium non docuerit, nam ei incūbit  
probatio, qui dicit, nō qui negat. l. 2. ff. de probatio.  
irritabitur quidem executio reseruato creditori iure  
42 suo, vt scilicet ordinaria via experiri possit. Quā ob-  
rem ne debitores in hunc modū inficiando possent  
creditorum ius eludere, reddit cautionem satis com-  
modam Imperator in. l. Plures. C. de fide instru. vt  
nempe cum creditor dat apocham solutionis debi-  
tori,

tori, inuicem ab eodem exemplum ipsius apochæ cū subscriptione ipsius debitoris accipat, vel faciat, vt debitor det sibi antapocham, id est, scripturam, qua cōfiteatur se soluisse annum redditum, quem debet: in quam rem Imperator debitori legem imponit. Si igitur Imperatori nobis cauēdi cura fuit: nos ipsi nobis non deficiamus. Poterimus etiam huic rei cauere, si à principio in cōstitutione census adiectæ fuerint illæ clausulæ, quas paulò post in exceptionibus ad hanc regulam subiiciemus, vbi quid de annis legatis statuendum sit, attingemus. Et hæc quidem cōtempnda non sunt, nam Interpretes non attingūt, excepto vno Castello. n. 32. ieiunè tamen & perfunctoriè.

§. DECIMVS TER TIVS.

**S**V B hæc videamus, quas exceptiones seu limitationes (vt vocant) Conclusio hæc patiatur. Et primùm hæc Conclusio est accipiendā, vt de cennium exinde cedat, ex quo dies solutionis venerit, nō antea. l. Cum notissimè. §. Illud C. de præscripti. 30. vel. 40. ann. & notat hic Pala. Ruin. n. 10. Deinde hæc Conclusio non habet locum, quando in instrumento huic præscriptioni renūtiatū fuerit: quāuis enim inter Doctores nō mediocris dissensio sit, vt trum tēporalibus præscriptionibus renūtiari possit, vt videre licet apud Bart. & Iaso. & ceteros in d. Nemo potest. ff. de lega. 1. Balbum de præscrip. 5. par. 5. princip. q. 6. Minchacam de succel. creat. li. 1. §. 10. n. 6. Atqui quantum attinet ad præscriptionem aduersus ius exequendi, procul dubiò fatendum est renun-

nuntiationem valere, si quidem cessant hoc casu rationes, propter quas mouentur Doctores, vt existiment præscriptioni tēporali renūtiare non posse. sicuti eruditè, vt cætera, scribit Grego. Lopez. in. 44 l. 1. tit. 29. Parti. 3. Præterea hæc Conclusio non procedit, quando contractui lex adiecta fuisset, vt decimo quoq; anno contractus renouatus sit, & renouatus esse intelligatur: & toties ius exequendi reuiuiscat, quoties aliqua præscriptio contra ipsum effluerit. Hanc cautionem acceptam ferre debemus Bart. in. l. Nemo potest. n. 22. ff. de lega. 1. & illic sequitur eum Iaso. n. 89. Angel. in princip. Instit. de vsucapio. Bal. de præscrip. 5. par. 5. princip. q. 6. n. 3. & Cifuentes in præsent. communen. testatur opinionem Iaso in. d. l. Nemo. 2. lectura. n. 18. & dicit notabilem Boërius. decis. 338. n. 5. Et planè, licet nonnulli ab hac communi sententia deficiat, quòd dicant præscriptioni tēporali renūtiari non posse: verùm in iure exequendi, sine dubitatione Bartoli opinio est recipienda, quando: (vt modò diximus) præscriptioni aduersus ius exequendi renūtiari rectè potest. Proinde tātū deim erit, si instrumento cōprehensum fuerit, vt quocūq; tēpore petitum fuerit, reus soluere teneatur. ex sententia Bartoli in. l. Sicut in annos. ff. quib. modis vsusfruct. amitt. Iaso. in. l. 1. n. 35. ff. solut. matrimo. Capola Cautel. 75. Couarr. lib. 1. Variar. c. 9. n. 4. Grego. in. l. 1. tit. 29. Parti. 3. Ad hæc Conclusio ista locum nō habet in annuis legatis: nā pro his quanquā lōgissimū tēpus lapsum fuerit, tamē semper habebit locū executio pro pēsiōne nouē annorū proximorū. Huic ratio est, quia in ānuis legatis quot sunt anni, tot

D 5 sunt:

sunt legata. l. Si in singulos. ff. de annuis lega. & ideo tot nascuntur actiones, & consequenter tot prescriptiones sunt necessariae. Itaq; in his & si aliqua temporis praescriptio completa fuerit, pro praeteritis tantum annis nocet, non pro futuris. gl. Bart. & ceteri in. l. Cum notissimi. §. fi. C. de praescri. 30. vel. 40. anno. In annuis vero rebus ex contractu vel stipulatione debitis, alia est ratio, & ideo aliter statuendum esse paulo ante admonuimus. Item haec lex non sortitur locum in iure exequendi ex actione reali descendens, cum loquatur in iure exequendi ex actione personali competens, sitq; ipsa lex corrigens, proinde non amplianda. Hanc exceptionem, alios referens, scribit Dueñas, reg. 6. limita. 1. & Auenda. in Cap. Correctio. 2. par. c. 30. n. 12. Erit ergo ius commune sequendum, iuxta quod. 30. annis opus esse supra ostendimus. §. 11. Rursus haec Conclusio erit intelligenda, nisi modo post lapsum decennij faciat creditor debitorem iurare, an sint vera quae in instrumento continentur: nam si debitor confiteatur, ex vi confessionis executioni locus erit, sicuti placet Castello hic. n. 25. & Auiles in Cap. Correct. c. 10. n. 69. & Guterrus in. l. Ne mopotest. n. 488. Contrarium tamen videtur sentire Auend. loco modo citato, n. 11. Ait enim: Si debitor post decennium confiteatur, nihil sibi confessione nocere, cui suffragatur Bald. opinio, in. l. Per hanc. C. de tempo. appella. Ego haec quaestionem distinctione recipere existimo: aut enim ius exequendi & personalis actio simul praescripta sunt, puta viginti annis elapsis: & tunc non puto cogendum esse reum inuitum iusiurandum praestare, ex argu. l. In contractibus. §. Illo videlicet. C. de

de non numerata pecu. Aut ius exequendi solum est praescriptum, non vero actio personalis, puta decem annis tantum elapsis: & cogendum arbitror ad iusiurandum. Intersse tamen puto quemadmodum confiteatur: nam si quidem simpliciter confiteatur, pro iudicato habebitur, eritq; executioni locus. ut est argu. l. Si duo. §. Idem ait. ff. de iureiur. Atqui si recognoscat quidem instrumentum, dicat tamen se iam soluisse: nihil ei confessionem nocere puto, etsi solutio non docuerit, quippe cum pro se legis praesumptionem habeat ex lapsu decennij: standum erit igitur confessioni, cui iuris praesumptio opitulatur, ex sententia Bart. in. l. Aurelius. §. Idem quassij. ff. de libera lega. Panor. in. c. Bonae. 2. de postula. praela. ut taceam neq; alioqui talem confessionem executionem mereri ut probatur in. l. 8. tit. 3. Part. 3. AEquè etiam haec Conclusio non pertinet ad minores aetate, si quidem aduersus hos temporalis praescriptio non procedit. l. Non ignotum. C. quibus non obij. long. temp. praesc. Idem iuris erit in filio familiars, qui in sacris paternis est. l. 1. §. fi. C. de annali excep. Pala. Ruu. hic. n. 36. l. 8. tit. 29. par. 3. Itaq; ij etiam post decennium, ne restitutione quidem postulata, executionem petere, praescriptionemq; aduersus se obiectam replicatione refellere possunt, sicuti supra latius tradidimus. §. 4. Iam neq; id habebit locum, si compensando quis instrumento vtatur: nam quae temporalia sunt ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum. l. Pure. §. fi. ff. de doli excep. Postremo haec Conclusio non habet locum, si qua pars aeris alieni intra decennium soluta fuerit, pro reliquo enim executio locum habebit. ut est argum.

argum. l. Cùm fidei. C. de non num. pecu. l. 29. tit. 29 Part. 3. & notat Auenda. in dicto. c. 30. n. 12. Hæc de prima Conclusione fatiſ. Si tamen illud dixerimus, ſi hoc ius exequendi fuerit in iudicium deductum per citationem vel executoris miſſionem, in decem annos: ſi per litiſ conteſtationem, in. 40. perpetua ri. vt apparet ex Suarez in. l. Poſt rem. §. Conſidera. n. 4.

#### §. DECIMVS QVARTVS.

**S**ECVND A huiſ legis Cōcluſio ita ſe habet. Actio perſonalis & reſ iudicata, ſeu decretum executioniſ ſuper ea datum, viginti annis, nō minori tē pore præſcribuntur. Quoniam verò hæc Concluſio ſic inuoluta obſcuritatem ingereret: oportet illā mēbratim explicemus. Igitur actionem perſonalem cōſiderate poſſumus, aut antea quā in iudicium fuerit deducta, vel poſtquam diu liſ pēdet, aut demum re iam iudicata, ſeu lite finita. Sanè actione perſonali nondum in iudicium deducta: dicendum eſt vi- 47  
ginti annis, nō minori tempore, eam præſcribi, iuxta præſentis legis deciſionem. id quod accipiendum eſt, ſiue actio per ſe extet, ſiue cum iure exequēdi cōiūcta; vti apertiffimè datur intelligi ex eo, quòd illa lex Regiſ Alſonſi eſt abrogata, atq; adeò à toto hoc volumine exploſa. Sin autem actio perſonalis in iudicium fuerit deducta: hoc quidē caſu lex hæc nihil diſponit; proinde ſpectāda erūtea, quæ iure cōmuni de interruptione & perpetuatione actioniſ tradūtur. Igitur ſi actio perſonalis in iudiciū fuerit deducta, nōdū tamē liſ fuerit finita: intereſt quidem an per ci-  
ta-

tationem, an per litiſ conteſtationem in iudiciū fuerit acceptum: nam ſi per citationem tantum, interruptitur quidem præſcriptio, verum non perpetuatur actio. quā obrem ex integro præſcriptio debet incipere in alioſ viginti annos, ſecundum Bart. ſententiā in. l. ſi. ff. de eo, per quem fact. erit. & illic Iaſo, n. 7. Balbum de præſcrip. par. 6. princip. §. 4. n. 10. Per extraiudicialem verò interpellationem, interruptio huiſmodi præſcriptioniſ non fit. vt docet Iaſo loco modo citato, & Tiraq. de retract. cōventional. §. 14. gl. 6. n. 38. Porro ſi actio fuerit deducta in iudicium per litiſ conteſtationem: non ſolum interruptitur præſcriptio, ſed etiam perpetuatur actio in alioſ quadraginta annos, ſi tot forſan liſ finem non acceperit. l. ſi. C. de præſer. 30. vel. 40. annorum. Tradit nominatim Suarez in ſpecie harum legum, in. l. Poſt rem. §. Conſidera ultimo. n. 4. & Dueñas regul. 6. ad calcem. in quo quidē fallitur alioqui eruditiffimus Anto. Gomez, qui iſt hic putauit per iſtam Taurinā legem ſublataſ eſſe perpetuationiſ. materiam, quòd dicat: quando per reſ iudicataſ non perpetuatur actio, vt in hac lege definitur; multò minùs per litiſ conteſtationem perpetuari. Sed non ſatiſ commoda eſt huiſ argumentatio. Nam quidem interea dū liſ ventilatur, cum multi ſint caſuſ, propter quos litiſ retardari ſoleāt, vt dicit Imperator in. d. l. ſi. rationi cōuenit, vt actioni lōgius tempus impartiretur. At re iā iudicata, ac lite finita, cum nihil ſit impedimēto, quominuſ actor ſuum iuſ perſequatur, meritò cōanguſtata fuit actioniſ vita. Et hanc quidē diuerſitatē rationē acutè animaduertit Mincha. dicto. §. 10.



nu. 32. & Didac. Perez in, d. l. Ordinamēti. Ergo per  
petuationis materiam sublatā hac lege fuisse, nequa-  
quam dicendum est, præsertim cū legū correctio-  
nē effugere semper debeamus. Postremo casu, scili-  
cet, re iam iudicata ac lite finita, siue spectemus actio-  
nē primæquam (id est) quæ ante litem cœptam cōpete-  
bat, siue eam, quæ ex ipsa re iudicata procedit: dicen-  
dum est ex istius legis decisione, viginti annis tantū  
præferibi, scilicet simul cum iure exequendi. ius ve-  
rò exequendi ex re iudicata competens per se tantū,  
id est, salua actione personali, decem annis tantū  
præscribetur, sicuti in priori parte lex ista definit. ne-  
q; enim est credibile velle Legislatorem statim seip-  
sum corrigere. Actio igitur personali & res iudica-  
ta simul viginti annis præscribuntur: res verò iudica-  
ta seu ius exequendi per se tantū, id est, sine actione  
personali, decē annis duntaxat præscribetur. Et ita  
quidem omnes nostrates Scriptores sentiunt, præter  
vnum Anto. Gomez. Ex hac igitur Conclusione sic  
declarata in primis illud sequitur, quod licet quod<sup>49</sup>  
ad ius cōmune attinet pactū de retrouedendo, quod  
dicitur, 30. annorum præscriptione excludatur, vtcō-  
muniter est receptum, teste Balbo de præscrip. 4. par.  
5. princip. q. 3. & Anto. Gomez tit. de emptio. & ven-  
dit. nu. 18. Verū quod ad nostras ius Regium perti-  
net, ex huius legis decisione, dicendum est, viginti  
tantummodo annis præscribi. Id quod etiam osten-  
dunt Greg. Lopez, & Couarru. ille in. l. 42. tit. 5. Par.  
5. hic in lib. 1. Variarum resolu. c. 9. nu. 6. Quod intel-  
ligi quidem debet, nisi adiecta fuerit tali pacto hy-  
potheca: nam eo casu, 30. annis opus erit, ex istius le-  
gis

gis decisione. & hoc casu potest procedere opinio  
Auendani in cap. Correct 2. part. c. 30. nu. 12. qui pu-  
tat etiam hodie aduersus tale pactum esse opus. 30.  
annorum præscriptione. Quod à vero alienum est,  
nisi, vt diximus, quando tali pacto accesserit bono-  
rum hypotheca: nam quod ait reale esse huiusmo-  
di actionē, neq; ad rem pertinet, neq; verum est, imò  
est personalis, vt satis apparet ex. l. 2. C. de pact. inter  
empt. & vend. Proinde huius legis regulis metienda  
erit. Amplius huius legis conclusio pertinet quoq;  
ad causas nobilitatis, si credimus Otaloræ, de nobili-  
tate. 3. par. 3. princip. c. 4. num. 12.

### §. DECIMVS QVINTVS.

**V**IDENDVM est autem de huius cōclusionis  
exceptionibus. Et primū hęc conclusio nō  
extenditur ad ius agendi ad supplemētum legitimæ  
(quam vocāt) sicuti placet Greg. Lop. in. l. 5. tit. 8. par.  
6. verb. gelo cōplieffe. Deinde neq; habebit locum,  
quando obligatio iureiurando vallata fuisse, sicuti  
quoq; hīc tradunt Cisuentes, & Castellus, & Anēda  
nō loco modò citato. Consule tamen Rodericū Sua-  
rez, in. l. Post rem. §. Considera vltimò. vbi ad am-  
plius tractat, an id habeat tantū locum in iureiuran-  
do decisorio, vel an etiam de volūtario sit intelligē-  
dum. Præterea hęc conclusio nō videtur compre-  
hendere officiū Iudicis, cū hęc lex in actione per-  
sonali loquatur: idcirco quòd ad officium Iudicis nō  
debet extēdi, cū sint diuersa. gl. & Doct. in princip.  
Inst. de actio. Quāto verò tēpore officio Iudicis præ-  
scribi

scribi possit, lege Balbum de præscrip. 4. par. 4. princip. q. 30. Vtrum verò hæc lex alienigenas comprehendat, tractat in simili specie Bart. in. l. Cunctos populos. C. de summ. trinit. & fide catho. q. 1. n. 19. Plures exceptiones seu limitationes, quas vocant, ad hæc cõclusionem colligere poteris, Lector beneuole, ex Doctorũ scriptis in præsentia ex Aucodano, & Dueñas locis supra dictis, ex Balbo de præscrip. 2. part. 3. princip. q. 14. Superuacuum erit enim, quæ ipsi rectè tradunt, nos hic repetere. Illud quoq; superuacuum esset, admonere hæc legem correctionem in hac cõclusionem inducere, quum, vt supra admonuimus, palàm sit personalem actionem ante à. 30. tãtum annis præscribi. Licet igitur olim neq; mutui, neq; cõmodati, aut depositi, seu legati, vel fidei cõmissi, vel tutelæ, seu alij cuiuslibet personali actioni, longi temporis præscriptionem obijci posse, certi iuris esset, quæ sunt verba Imperatoris in. l. Neq; mutui. C. quib. nõ obij long. tempo. præscr. at hodie huius legis noua introductione aduersus illas actiones, & similes, longi tẽporis præscriptio, viginti scilicet annorũ, obijci poterit. In realibus verò actionibus hæc lex, vt diximus, nullam immutationem fecit: proinde sequenda erunt ea, quæ de actionibus realibus præscribendis traduntur in. l. si. C. de præf. long. temp. cũ similibus.

#### §. DECIMVS SEXTVS.

**T**ERTIA cõclusio huius legis est talis. Quoties obligationi hypotheca accesserit, debitum nõ tollitur nisi. 30. annorũ præscriptione. Ex hac autem con-

51

con-

cõclusionem Pala. Ruui. Castell. & Ant. Gomez isthuc in ea sunt sententia, vt existimèrẽ correctã esse antiquã iurã, quibus cauetur debitore vel heredem eius non posse hypothecariæ actioni præscribere, nisi quadraginta annis. l. Cũ notissimi. C. de præscrip. 30. vel. 40. ann. l. 27. tit. 29. Part. 3. aiunt itaq; etiam hoc casu. 30. annos sufficere. Quorum tamen minuenda est opinio. Enimverò hæc lex non tractat de præscriptione aduersus hypothecam, sed solum de præscriptione aduersus debitum. Ait enim. Pero donde es la obligacion hay hypotheca: la deuda se prescribe por. 30. años. Debitũ autem propriè actione personalem complectitur gl. & Doct. in princip. Instit. de actio. verb. quod sibi debetur. Quare hæc lex corrigens ad reales actiones non debet ampliari: sicuti notant Angel. & Iaso super illam gl. & alij relati a Dueñas, regu. 6. limita. 1. Rectè autem fieri potest, vt actione personali præscripta, adhuc hypothecaria actio duret. sicuti scribit Balbus de præscrip. 4. par. 4. principali. §. Tertio principaliter. quo loci, vt diximus, luculenter de hypothecaria præscriptione tractat. Similiter quoq; dicendum erit, hæc legem nequaquã pertinere ad tertios possessores (vt quomodo possim loquar) ij enim decem vel. 20. annis pignoriæ seu hypothecariæ actioni præscribunt: vt in. l. 1. & 2. C. si aduersus credi. long. tempo. præscr. oppo. l. 27. tit. 29. Par. 3. & tradunt hic Cifuentes, & Castellus. numerabitur tamẽ id tempus exinde, ex quo actio ipsa hypothecaria incipiet cõpetere creditori (id est, postquam debitor fuerit in mora). l. Si quis emptionis. §. si. & l. Cũ notissimi. §. Illud plus. C. de præscr. 30.

E

vel

vel. 40. ann. l. Quasitum. ff. de pig. Et vt semel finia; nihil hæc lex circa hypothecariam actionē immutat: quippe cū de personalis actionis tantū præscriptione agat.

§. XVII.

**I**n postrema parte definit lex actiones mixtas. 30. tantū annis præscribi. In quo sanè iuri cōmuni respondet, sicuti superius monstrauimus. Actiones verò mixtam causam habentes, cōstat esse actiones familiæ eriscundæ, communi diuidendo, & finium regūdorū. vt in §. Quædam. Instit. de actio. In quo circa hanc vltimam (finium regūdorū scilicet) illud admonendum duxi, sicuti fines Diocesum & Parochiarum, propter confusionem euitandam, præscriptione adquiri non possunt, vt in. c. Super eo. de parroch. ita neq; etiam fines Regnorum, Comitatuū, Ducatuū, seu Marchionatuū, similiumq; dominationū, præscriptione temporis confundi non posse, secundū Fabrum in dicto. §. Quædam. n. 38. & Balbum de præscrip. l. par. 6. principal. decimo casu, Alciatum in. l. Quinq; pedū. §. Annotandum in primis. Panor. in dicto. c. Super eo. de parroch. Id tamen an in præscriptione temporis immortalis (vt vocant) locū habeat: legito Francisc. Curium, Consil. 56. incipit, *Super eo, quod ab ordine. col. 1.* Hæc ad huius legis interpretationem satis superq; nunc aliō transeamus.

Quid

Quid in suscipiendis causis Aduocatis spectandum sit. Cap. 2.

**C**onsidicus, qui sibi conscius, improbæ liti patrocinitus fuerit, mortale peccat peccatū, restitutioniq; se alligat.

n. 1.

*Si per imprudenciam, iurisve ignorantiam. Aduocatus improbæ liti auxilietur, peccet ne, & ad restitutionem teneatur.*

n. 2. cum sequent.

*Quid si Aduocatus fuerit anceps. n. 5.*

*Aduocatus, modò iusta liti patrocinetur, nihil committit aduersarium dolo astuq; circumscribendo. n. 7.*

*Quintiliani consilium ratioq; quam Aduocati in suscipiendis causis habere debeant. n. 11.*

*Aduocatus plus honorarij recipiendo, quàm lege sit definitum, an peccet, restitutione sit obnoxius. n. 13.*



**N**E M I N E M præterit Iurisperitum eum, qui sciens prudensq; improbæ liti patrocinitus fuerit, mortale peccatum peccare, ac prætereà teneri ipsum in foro calitū (vt de hominum foro taceamus) vtrique litigatori omnes impensas litis ac damna præstare. At si nihil sibi sit conscius Aduocatus, sed per ignorantiam forsan, imprudenciam ve improbæ liti auxilietur, putans scilicet clientulum suum ius habere: solet dubitari an peccet, & ad restitutionem supraddictam teneatur. Et planè, vt à sanctissimo eodemq; scientissimo viro rem exordiamur, Sanctus Thomas

Secun. Sec. q. 71. art. 3. respondit eatenus Aduocatum  
excusare ignorantiam, quatenus alijs. in rebus solet ex  
cusationem prestare. quem omnes vbiq; sequuntur,  
& inter eos nouissimè Dominicus à Soto (què hono  
ris causa nomino) de iustitia & iure. lib. 5. q. 8. art. 3. &  
Burgus Pacificus, eruditissimus sanè vir, in Proce  
mio legum Tauri, n. 215. Sed quoniam hoc verborum  
inuolucro non facile percipi poterit quanam sit ea  
ignorantia, quæ Aduocatis veniam paret: ipse pau  
cis expediam. Et summa quidem rei hæc est. Ignorantia  
2 quæ ex lata culpa prouenit, nullam Aduocato ex  
cusationem præstat, quominus improbæ liti patro  
cinando peccet, & ad restitutionem teneatur. At ve  
rò ignorantia ex leui vel leuissima culpa profecta, om  
nino Causidicus excusatur. Est siquidem celebris &  
nobilitata illa Innocè. sententia in. c. Sicut dignum  
de homi. dicentis: quantum ad Dei iudiciū attinet,  
culpam duntaxat latam, non verò leuem vel leuissi  
mam peccatum vel restitutionem inferre. Quam se  
quitur Panor. in. c. 1. de const. n. 11. & testatur commu  
nè Syluester, verb. Culpa. n. 6. & magnificiunt vbiq;  
omnes. At secundum hæc videtur iuris ignorantiam  
nunquam Aduocato veniam dare, ex eo quod vul  
gò dicitur, Iuris ignorantiam latæ culpæ annuera  
ri. gl. in. l. Liberorum. §. Notatur. ff. de ijs, qui notat.  
infa. Bart. in. l. si. ff. de varijs, & extraord. cogni. Bald.  
in rubri. C. de poena Iudicis, qui malè iudica. Quòd  
si de alijs id dicitur, in Aduocatis multò magis reci  
piendum videtur. Nam vt Quintus Mutius Seruio  
Sulpitio succensuit: turpe est patritio & nobili viro  
causa exorati, ius, in quo versatur, ignorare. vt refer  
tur

4 tur in. l. 2. ff. de orig. iuris. Videamus ergo an hæc sen  
tentia distinctionem aliquam recipiat: ne si ita simpli  
citer eam intelligamus, magnum videamur Aduo  
catis periculum iniicere, vt vbiq; iuris ignoran  
tia lapsi, improbæ liti patrocinati fuerint, peccent,  
ac damna impensasq; litigatoribus resarcire tenean  
tur. Igitur Bart. in. l. Quod Nerua. n. 19. ff. de positi.  
ita distinguit: Aut ius est certum & clarum, quia de  
hoc est casus legis, & tunc iuris ignorantia latæ cul  
pæ adscribenda erit: aut ius est ambiguum, putà pro  
pter Doctorum varias opiniones, vel quia non habe  
tur lex expressa, & tunc iuris ignorantia non iudica  
tur indistinctè lata culpa, sed debet iudicari lata, le  
uis, vel leuissima, iuxta distinctionem Iuriscōsulti in. l.  
2. ff. de iuris & facti ignoran. Hæc Bart. Sunt autem  
alij, qui dicant, iuris ignorantiam tum latæ culpam  
inducere, quando interuenerit circa iuris regulas, a  
liter atq; si circa exceptiones, quas fallentias vocat.  
Salicet. & Roman. in. l. Quod te mihi. ff. si certum pe  
ta. Faber verò in. §. Suspectus. Instit. de suspect. tutor  
existimat iuris ignorantiam tum latæ culpæ adscri  
bi, quādo contingeret circa iura vulgaria, quæq; fre  
quenter versantur in usu: secus si circa ea, quæ raro ac  
cidunt. Sic etiā Bald. in. c. 1. de transla. Episcop. ne  
gat iuris ignorantiam latæ culpæ annumerari, quan  
do cadit in his, quæ sunt de apicibus iuris. Itaq; non  
satis hac in re inter se Doctores consentiunt. Ego ve  
rò, vt magis Iurisconsultorum documentis, quàm  
Scriptorum opinionibus obtemperem, hanc cōtro  
uersiam profligandum existimo ex vulgari illa latæ  
culpæ definitione, quā tradit Iuriscōsultus in. l. La

ta. ff. de verbo. signif. *Lata culpa* (inquit) *finis est, non in*  
*telligere id, quod omnes intelligunt.* Cui etiā respōdet. l. n. ti.  
 33. Par. 7. Ut igitur inter tot tantosq; viros meā sentē  
 tiā interponā (solet enim nō nunquā, vt in. C. de ve  
 te. iure enuclea. §. Sed neq;. Iustinianus inquit, vnig  
 & deterioris sentētia multos & maiores aliqua in re  
 superare) tū *Causidicū* latæ culpæ dānandū puto, vt  
 per ignorantia improbæ liti patrocinantē, peccati  
 & restitutionis se alliget: quū ignorarit id, quod om  
 nes vel plerosq; Aduocatos non falleret: alioqui alia  
 ignorātia lapsō magis est, vt veniā demus. Sed finge  
 Iurisperitū non labare ignorantia, sed forsan ancipi  
 tē esse, putā vel propter causę difficultatē, vel prop  
 ter varias Doctorū opiniones. Quæstionis est, Num  
 talē causam ambigūā suscipiendo peccet, ac ad resti  
 tutionem teneatur? Quod voluisse sanē videtur Na  
 uarrus. in Manuali. c. 25. n. 28. ex sententia Antio. in.  
 cap. Brevi. de iure iuran. sed contrariā sententiam  
 recipiunt plerique omnes, vt tradit exactē Bugus Pa  
 centis, in Procemio legum. Taur. n. 397. cum sequēt.  
 Verū quia mihi mirū in modū placet distinctio;  
 quam hac in re ponit Dominicus à Soto, illam hūc  
 referre sui cordi. Is ergo lib. 5. de iusti. & iur. q. 8. art. 3  
 hanc rem ita absoluit: Aut vtriusque partis rationes  
 pares sunt, ac ex æquo procedunt, & in ea causa est  
 Aduocatus; vt salua conscientia tali causæ patrocini  
 nari possit; siue ea civilis sit, siue criminalis: Aut ra  
 tiones nō sunt vtrinq; pares, sed aduersę partis ratio  
 nes præstant; magisq; mouēt, & tūc quidē si causa sit  
 capitalis vel existimationis: omnino ab ea se Aduo  
 catus temperare debet. Sin autem civilis vel pecunia  
 ria

ria fuerit, magis est dicendum rectè posse Aduocatū  
 patrocinari, si modò clientulū suū certiorē tal  
 ciat causam dubiā esse, & iuris rationes aduersario  
 magis arridere: tametsi tunc in magno quidē pericu  
 lo versetur Aduocatus, ne dū ita anceps est, aliquid  
 sibi consciat. Hæc è Soto. Cui mirum in modū con  
 uenire videntur, quæ parens eloquentiæ scribit Offi  
 ciorū lib. 2. in hæc verba: Atq; hoc præceptum offi  
 cij diligenter tenēdum est, ne quē vnquā innocentē  
 iudicio capitis arceffas. Id enim sine scelere fieri nul  
 lo pacto potest. Nam quid est tā inhumanum, quā  
 eloquentiam, à natura ad salutem hominum, & ad  
 conseruationem datā: ad bonorum pestem, perni  
 ciamq; conuertere? Neq; tamen, vt hoc fugiendum  
 est, ita habendū est religioni contrarium, nocentē  
 aliquando & nefarium, impiūq; defendere, vult hoc  
 multitudo, patitur consuetudo, fert etiā humani  
 tas. Iudicis est semper in causis verum sequi: patroni  
 nonnunquam verisimile, etiam si minus sit verum,  
 defendere: quod scribere præsertim cum de philoso  
 phia scriberem, nō auderem, nisi idem placeret gra  
 uissimo Stoicorū Panætio: Hactenus Cicero. Illud  
 quoq; quæritur: Si cliētulus in causa possessionis ius  
 habeat, improprietas nō habeat, possit ne sine pec  
 cato Aduocatus possessori iudicio suffragari? quod  
 quidem placere video Innocentio, in. c. Pastoralis.  
 n. 6. de causa possess. & propri. Neq; habeas (inquit) o  
 Aduocate cōscientiam laiam, eò quòd dederis cau  
 sam peccandi spoliato, & retinendi rem alienā: quia  
 potest esse, quòd verè tua sit, licet eam non probet  
 iurā. Cuius quidem opinionem sequitur ibidem

Ioan. And. & Baldus in Margarita, verb. *Aduocatus*, huius rei rationem reddens: quia Aduocatus legis, non hominis conscientiam debeat habere. Illud etiā palam est, Aduocatum iustæ liti patrocinantem, posse salua conscientia, dolo, astuq; & cauillationibus aduersarium circumscribere, fallaciaq; fallaciam detrudere. Nam, vt Ouidius inquit,

*Iudice me fraus est concessa repellere fraudem.*

& vt est in Prouerbio, Cretizandum aduersus Cretē fem. Refert plura in hanc sententiam Tiraq. de retract. linag. in Præfatione. n. 69. oportet tamen id sine mendacio vel periurio fiat. gl. in. c. Cupiētes. verb. *Malignantium*. de elect. in. 6. gl. in. c. Dominus. 23. q. 2. Tradit copiosè & eruditè more suo Dñs Archi. episc. Couarru. lib. 1. Variarum resolu. c. 2. Iterū igitur atq; iterum Iurisperiti prospiciant, ne se temere improbis litibus implicent: vidēt enim sui periculum agi, eisq; subeat in mentem, magna eis commoda manere, non dico quod ad caelestem illam patriā attinet, sed etiam quod ad hanc lubricam & caducā vitā, si, vt patet, munus suum obierint. Plañē si æternam illam sedē spectamus, extra quā nihil esse, quod expetendum sit, certum est; quid quæso acceptius? quid placabilius? quid deniq; amabilius illi principi Deo, qui hunc mundū regit, quod quidem in terris fiat, esse poterit: quā si improbis litibus, quæ multorum quidē malorum veluti seminariū sunt, aditū intercludant? Nonne plerisq; placuit, plus mereri aduersus Deum Aduocatos munus suum legitimè obēntes, quā sacri verbi cōcionatores? Iaso in. l. 1. n. 8. ff. de iusti. & iur. Sylua nup. lib. 3. n. 20. Refert plures

Bur

Burgus Paenſis in Proœmio legum Taur. n. 382. Sed & quod ad hanc præſentem vitam attinet, nihil dubij est, eum Aduocatū, qui iustis duntaxat causis studeat, improbas atq; iniquas excretur: certius faciliusq; sibi & famā, & diuitias affecuturum, quā eum, qui citra delectum, Dei timore, suoq; honore posthabito, sordidis mercedulis quæstibusq; inhiās, omnes promiscuè causas, siue bonas siue malas, amplextur. Huius enim imperitia (seu fallaciā, perfidiam uēdicare oportet) non potest non statim ex litium euentu deprehēdi: continuòq; litigatores, falsa spe decepti, in eum stomachantur, dolentesq; se & oleū & operam perdidisse, palam ei malè precantur. vnde fit, vt deinceps apud omnes malè audiat, omnesq; illum tanquā latens vīrus obseruent. Contrā verò ille ex alio atq; aliò foelici litis euentu, auspiciatò foelicitèq; ferè semper sibi causis cedentibus, breuī nomen famamq; nanciscitur: illicoq; omnes probatā eius prudentiā fidemq; sequuntur: certatimq; litigatores curant, vter eum in suam partem præripiat, atque ita si mul ei nomen, fama, simul opes, diuitiæq; indies augentur, cumulanturq;. Vides igitur vtriusq; Causidici diferimē, atq; vt bono bonum, malo autem malum parētur. Ergo, & vtrum probis improbis uel litibus patrocineris, susq; deq; feras. Quòd si adhuc hæc te parum mouent, subeat in mentē, quæso, quod Propheta, imò Deus per Prophetam inquit: Melius est modicū iusto super diuitias peccatorū multas. Quoniam brachia peccatorū conterētur, confirmat autē iustos Dominus. Et rursus eodē Psalmo: Iniusti puniētur, & semē impiorū peribit. Iusti autem hæredi-

Psal. 36.

E 5 ta-

tabunt terram, & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam. Quòd si adhuc parua hæc tibi videntur, clāgat tuba Euangelica, clāgat: Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum faciat? Aut quā dabit homo commutationem pro anima sua? Perstemus igitur in officio, nulliſq; pecuniarum illecebris vincamur, atq; ita Deo pariter atq; hominibus grati erim⁹. Si enim in quouis artifice, vel ijs, qui cubito se emungūt, si quid fraude, si quid dolo fiat, infensē abominamur: quid in nobis constituendum putamus, qui tanquam Iuris Iustitiæq; defensores & moderatores cōstituti sumus? Sed neq; quidem pudor obſtet, quominus susceptā, cum melior videretur, litem, cognita inter litigandū iniquitate, Aduocatus dimittat, litigatorēq; vel ad cedendū, vel ad transigendū moneat. Nā & in hoc maximū (si æqui Iudices sumus) beneficiū est, vt non fallamus vana spe litigantem. l. Rem non nouam. §. Patroni. C. de iudi. l. Quoties §. Sicut. ff. de administr. & pericul. tuto. Quemadmodum verò potest tanta conscientia ita aduocatus ad transigendum consilium dare, cognita (vt diximus) inter litigandū iniquitate, tractat Burgus Pacēsis in Proœmio legum Taur. n. 255. Verū quia susceptæ semel lites agrè vixq; deserūtur, danda principio opera est, vt omnē (vt aiunt) lapidem moueamus, ne postea vel cum pudore terga vertere, vel cum scelere, ac nō mediocri litigatoris damno desperatam defendere litē necesse habeamus. Quare commodissimè tractari solet, quæ nam potissimè cautio in suscipiēdis causis. Aduocatis tenēda sit, ne errare falliq; possint. Et sanè de hoc

& aliàs

& aliàs alij, vt Speculator in tit. de Aduocato. §. Nūc tractemus. & non nihil attigit Grego. Lopez in tit. 2. Part. 3. in Summa. Sed quoniam in hanc rem præsentissimum remedium consiliumq; reperisse me arbitror apud nostratē Fabium Quintilianum, oratoria. institu. lib. 12. quo quidem & ipse vtor, & re ipsa mihi vsui fuisse expertus sum. Illud hīc referre decreui, vt & alijs (si qua tamen experimentis meis habenda est fides) ex vtu esse possit. Ipse igitur Fabius, quemadmodum in suscipiendis causis nos habere debeamus, ita monet: Vt ante omnia quidem liberum demus ijs, quorum negotium erit, tempus, atq; locum; exhortemurque vltro, vt omnia quamlibet verbosè, & vnde volent repetito tempore exponāt. Quia non tam debet audire superuacua, quā ignorare necessaria. Frequenter etiam & vulnus & remedium in his caudicus inueniet, quæ litigatori in neutram partem momentum habere videbantur. Neq; semel audisse sit satis: cogēdus eadē iterum ac sæpius dicere litigator, non solum quia effugere aliqua prima expositio ne potuerūt, præsertim hominē (quod sæpe euenit) imperitum, sed etiam vt sciamus an eadē dicat. Plurimi enim mentiuntur, & tanquam non doceāt causam, sed agant; nō vt cum patrono, sed vt cum Iudice loquuntur. Quapropter nunquam satis credendū est, sed agitādus omnibus modis, & turbādus, & euocandus litigator. Nā vt Medicis non apparentia modo vitia curanda sunt, sed etiam inuenienda quæ latent: ita Aduocatus plura, quā ostendantur, aspiciat. Nam cum satis in audiendō patiētiae impēderit, in aliam rursus personam ei transeundum est, agendusq;

duſq; aduerſarius, atq; proponendum quid quid reci-  
 pit in huiusmodi diſceptatione natura. Interrogādo  
 quā inſeſtiſſimè, atq; premédus clientulus. Nā dum  
 omnia quærimus, ad verū, vbi minūſ expectauimus,  
 peruenimus. Multa etiam, quæ nihil ad cauſam perti-  
 nere crediderit, Aduocatus eruet. Itaque rimari ne-  
 ceſſarium erit, quæ perſonæ, quæ tempora, quæ lo-  
 ca, inſtituta, inſtrumenta, cæteraque; ex quibus  
 nontantum illud, quod eſt artificiale probationis  
 genus colligi poſſit, ſed qui metuendi teſtes, quo-  
 modo ſint refellendi. Sic Aduocatus cauſam per-  
 crutatus, propoſitis ante oculos omnibus, quæ pro-  
 ſint, noceātūe tertiā deinde perſonā induat iudicis;  
 ſingatq; apud ſe cauſam agi, & quod ipſum mouiſſet  
 de eadē re pronuntiatūrū, id potentiſſimū apud quē  
 cunq; agetur, exiſtinet: & ſic rarò eum fallerit euetus;  
 aut culpa iudicis erit. Hæc ad Oratorē Quintilianū.  
 ſed Aduocato dictū putemus: vtriuſq; enim par cau-  
 ſa eſt. Si igitur Cauſidici mihi credant, huiusmodi  
 Quintiliani prouiſionē magnificere, & ante oculos  
 habere, ad eamq; conſiliū omne reuocare debēt, ſi er-  
 rare quidē nolint, atq; cōmittere, vt cū animæ ſuæ  
 achonoris diſpēdio temere improbas lites ſuſcipiāt.  
 Sanè aut hæc eſt via, aut nulla omnino, per quam id  
 cauere valeamus. Illud verò admonuiſſe non fuerit  
 neceſſe, cū Aduocatus iuſtam cauſam ſuſceperit: o-  
 mnes ſuos debere neruos intēdere, vt ſuus cliētulus  
 palmā ferat. Nam nō minus peccatum erit, & haud  
 ſcio an maius, iniuſtam litē ſuſcipere, quàm iuſtam  
 deſerere. l. Quoties. §. Sicut. ff. de adminiſtrato. Nā  
 verò cōmodius ſit Aduocato in allegationibꝫ (quas

VO-

vocant) breuitate magis, quàm longa oratione vtī,  
 indicat eleganter Plinius Iunior lib. i. epiſtolarū,  
 Epiſt. ad Cornelium Tacitūm. & paucis quoq; mo-  
 13 net Imperator in. l. Quisquis. C. de poſtuland. Illud  
 ad extremum meminifſe oportebit, Aduocatum iu-  
 ſtæ liti patrocinantem, tametſi à clientulo honora-  
 rij cauſa plus accipiat, quàm lege definitum ſit: non  
 continuo peccare, neq; ad reſtitutionē teneri: ſi mo-  
 dō dolus malus abſit. Authore Panor. in. c. Quia ple-  
 riq; de immu. Eccleſ. Quod tamē accipiendum eſt,  
 dummodo ſecundūm litis, ac ſuæ peritiæ qualitatem  
 modum non excedat. vt tradit Matth. de Affl. in Cō-  
 ſtitu. Neapol. rubri. 82. n. 3. quod quidem pertinet ad  
 interpretationem tex. in. l. i. §. ſi. ff. de varijs, & extra  
 ord. cog. & ad. l. 18. & 21. tit. 16. lib. 2. nouæ Cōpilat. qui-  
 bus quid ſalarij nomine Aduocati recipere poſſint,  
 definitum eſt. Sed hæc hæc tenus.

Annuo reditu ſeu cenſu vendito, quonam in  
 loco veſtigal (ſeu, vt vulgò dicitur, Alcaba-  
 la) ſolui debeat. & in ſumma, tota veſtiga-  
 lium materia, ad noſtrarum Regiarum le-  
 gum interpretationem, copioſa quadam  
 breuitate perſtringitur. Cap. 3.

**H** Iſpaniarum Reges Imperatori non ſubiſciuntur. n. 7.  
 Hiſpaniarum Reges veſtigalia indicendi ius habere  
 n. 8.

Alcabala munus quomodo originem habuit. n. 9.

Alcabala verbum cur ita dicatur. n. 10.

Om



*Omnis Hispani sermonis idioma à Latina lingua traxit originem. n. 11.*

*Vectigalis munus sine peccato fraudari non posse. n. 13.*

*Vectigalium leges sint ne odiosae, an favorabiles. n. 14. & 29.*

*Regia vectigalia nulla temporis praescriptione etiam immemoriali adquiruntur. n. 18.*



**I**TIVS super bonis suis cēsum seu annuos reditus ( vt fieri affolet ) Sēro vendidit. Contigit autem vt alio loco contractus fieret, alio extarent bona pro ipso cēsum obligata, atq; rursus alibi cēsum solutum in conuenerit. Quapropter subinde in disceptationem venire solet, quoniam in loco vectigalis solutio fieri debeat. Hoc tributi genus exteri gabellam, nostrates alcabalam appellant, nobis interim hoc vectigalis nomine vti placuit. Quod cum latius patet, vt notat Tiraq. de retract. linag. §. 1. gl. 6. n. 2. & Valla elegan. lib. 4. c. 59. tū ad hoc tributi genus non malē respōdit, vti aduertit Dñs Prēsul Couarru. in regu. Nō dimittitur peccatū. 2. par. §. 5. & Otalora de nobilita. 1. par. c. 2. Verūm antea: quā hanc quæstionē absolua, quoniā vectigalis vltus apud nos frequens est: statui nō nulla hac de materia perfringere; nō quōd velim verbosos Cōmentarios facere, quod vtiq; possem, si omnia vtcūq; & vndecūq; repetita, vt nostri ferē solent, inculcare vellem: sed vt ea tantū, quae ad materiae, legumq; Regiarum interpretationem necessaria visa sunt, in medium afferam. in quo operapretium me facturum esse putauī. Est enim hac  
ma

materia à nostratibus Scriptoribus ferē destituta: ab exteris verō nō facillē percipi poterit, siquidem sua statuta, ad quae quæstiones applicant, nostratibus legibus Regijs non profus conueniunt. Primū igitur tractabimus, cui huiusmodi tributa imponēdius sit: deinde, ad quas personas: tertio, ad quos contractus hoc munus incumbat: mox, quantum eo nomine solueudū sit. hisq; peractis, propositā quæstionem aggrediemur. Principiō igitur, vt dicamus cui huius vectigalis indicēdi ius sit: sciēdum est, olim quidē cum Romanū Imperium rerum potiebatur, soli Principi, id est, Romano Imperatori noua vectigalia indicēdi ius fuisse. vt ostendit. l. Vectigalia. ff. de publica. & vectig. l. Nō solent. C. noua vectig. imponi nō posse. l. 2. tit. 1. Par. 2. l. 1. C. de super indicto. lib. 10. At postea, quoniam, vt est in Prouerbio, Omnium rerum vicissitudo est, imperio Romano indies, peneq; ad interitum labente, factum est, vt quidam Reges, Principes, populiq; simul se ab imperij potestate vindicantes, simul huiusmodi facultatem (vectigalia, inquam, indicēdi) adepti fuerint. vt apparet ex. c. Super quibusdam. de verbo. signif. & illic notat Panor. & Bertach. de gabellis. 1. par. n. 1. & probat. l. si. tit. 7. Par. 5. Ij etenim Reges, Principes, populi que, qui se ab Imperatoris subiectione in libertatē afferuerunt, parem in Regno, dominatūq; suo Imperatori potestatem sortiti sunt. vt scribit Panor. in. c. Per venerabilē. n. 10. & 26. qui filij sint legit. Suarez in quæstione de maiora. n. 28. l. 8. tit. 1. Par. 2. in d. maiore: quia Rex transmittit Regnum ad heredes, Imperator non. Boërius decil. 178. n. 9. Oportet tamen

vt noua vectigalia iure imponi possint: legitima eadē  
 sa id postulante fiat. Innocen. in. c. Ianouamus. de  
 censib. Bald. in. c. Cum ab Ecclesia. de offi. ordi. A-  
 uendanus in Cap. Correct. 1. par. c. 6. n. 5. Otalora de  
 nobilita. 1. par. c. 3. Quod si causa illa, ob quam vecti-  
 gal fuit impositum, defuerit: itē & vectigalis exactio  
 cessare debet, sicuti scribunt cum alijs alij, tum Cor-  
 setus de potestate Regia. 4. par. q. 49. Quāquam ve-  
 5 rō Princeps sine causa tributa imponeret, aduersus  
 eum tamen non liceret subditis conspirare, sed dun-  
 taxat in finib⁹ defensionis stare eis permissum esset,  
 secundum Boërium de seditionis. §. 1. n. 2. Possēt etiā  
 Romanus Pontifex abdicare principatu Regem pro-  
 6 teruē subditos opprimentem, secundum Martinum  
 Laudensem, de princip. q. 7. & Parid. de syndicatu.  
 tit. de excessib. Imperatorum. n. 12. AEquē etiā (vt id  
 obiter dicamus) possēt Rex magnates, regulosq; sub-  
 ditos suos asperius seueriusq; tractantes priuare do-  
 minatione, iurisdictionemq; totam ad se reuocare.  
 vt ostendit Boërius decif. 304. & Grego. Lopez in. l.  
 2. tit. 13. Part. 2. verb. defaforaren. Quinimō alioqui iu-  
 re suo cum lubitū fuerit, id se posse facere videtur, se-  
 cundum ea, quæ affert Palac. Ruui. in introductione  
 rubri. de donatio. n. 8. quod tamē latius disputat Af-  
 flict. in Const. Neapol. lib. 1. rub. 47. n. 2. & rubr. 100.  
 n. 2. & 3. & Chassen. in Cōsuetud. Burg. rubr. 1. n. 106.  
 Sed, vt ad propositum reuertamur, ex superioribus  
 perspicuū fit ius esse nostris Hispaniarum Regibus  
 ex causa noua vectigalia indicēdi: licēt enim nostra  
 res Reges olim Imperatoriæ potestati parērent. vt ap-  
 paret ex. l. 2. §. Post aliquot. ff. de orig. iur. & ex ijs,  
 quæ

7 quæ affert Vasaus in Chroni. Hispania. to. 1. c. 13. At  
 postea expulsis profligatisq; Romanis, hoc subiectio-  
 nis iugum ē ceruicibus excusserūt: itaq; hodie Impe-  
 rio non tubesse manifestissimum est. glo. in. c. Hadri-  
 anus. 63. diff. Abb. in. c. Per venerabilem. n. 37. qui fi-  
 lij sint legitimi. Iaso in. l. Cunctos populos. C. de sum-  
 ma Trini. n. 11. Felin. in. c. Cum non liceat. de præ-  
 scrip. Balbus de præscrip. 2. par. §. princip. q. 2. Nico-  
 laus de Vbaldis, de successio. ab intesta. 1. par. n. 32.  
 Burgus Pacent. in Procemio legum Taur. n. 32. estq;  
 omnium Interpretum cōmunis hæc sententia. Qua-  
 re minimē ferendus est nescio quis Ioannes Ferald⁹  
 Gallus in tractatu, quem edidit de iuribus & priuile-  
 gijs Regum Francorum. n. 3. qui dum arroganter Re-  
 gi suo plurimum vult tribuere: temerē scribit, no-  
 8 strū Hispaniæ Regē Imperatori esse subiectum. Cui  
 nā verō potissimē Regū hæc Hispaniæ libertas acce-  
 pto ferenda sit, tradit Dñs Couarru. Practic. quæst.  
 c. 1. n. 1. Deniq; habere nostrates Reges hanc potesta-  
 tem vectigalia indicendi, si adhuc in re aperta testes  
 desideras, scribit nominatim Corsetus, de potestate  
 Regia. 4. par. q. 49. n. 13. In quo tamen laudandi sunt  
 nostri Hispaniarum Reges, qui licēt iure hanc pote-  
 statē habeāt, vfi tamen ea moderatione & humanita-  
 te, qua semper plurimū valuere, hæc sibi vltro impo-  
 suere legē, vt nō aliter sibi noua vectigalia ac tributa  
 Regno imponere liceat, quā si Comitij ex more cō-  
 uocatis, Regni Procuratores, Plebisq; Tribuni id  
 probent, & ratum habeant. vt est constitutum in. l. 1.  
 tit. 7. lib. 6. Recopila. Quod sanē tum rationi ac iuri  
 consentaneum est, quādo quidem ardua negotia nō  
 debent Reges, priusquā ad populum, proceresq; re-

ferantur, expedire. Iaso in l. Placet. n. 10. C. de sacro-  
fan. Eccl. Paris de syndica. tit. de Regum excess. n. 18.  
Burgus Pacens. in Proemio legum Taur. n. 447. l. 2.  
tit. 7. lib. 6. Recopila. tum ad Regni quietem trāquil-  
litatēq; plurimum confert. sicuti abundē exēplo de  
clarauit Theopompus Spartanorum Rex. Qui cū  
primus instituisset, vt Ephori Lacedamone crearē-  
tur, ita futuri Regiæ potestati oppositi, quēadmodū  
Romæ consulari imperio Tribuni plebis sunt obie-  
cti, atq; illi vxor dixisset, id egrisse illum, vt filijs mi-  
norem potestatem relinqueret: Relinquam, inquit,  
sed diuturniorem. Optimè quidem: nam ea demum  
tuta potentia, quæ viribus suis modum imponit. Igi-  
tur Theopōpus legitimis Regnum vinculis cōstrin-  
gendo, quò longius à licentia retraxit, hoc ad bene-  
uolentiā ciuū propius admouit. Hæc de Theopō-  
po scribit Valerius Max. lib. 4. c. 1. Hoc autē Vectiga-  
lis genus (quod apud nos Alcabala dicitur) primūm  
quidem originem traxit à Rege Alfonso huius no-  
minis vndecimo, vt ex ipsius Chronico apparet. c.  
262. cū duobus vel tribus sequentibus. Antea enim  
hoc vectigalis genus in vsu non erat, sed tantummo-  
do pendebatur octaua pars earum rerum, quæ merci-  
monij causa vel aliūde ad hoc Regnum vehebatur,  
vel isthinc foras efferebatur. l. Ex præstatione. C. de  
vectigal. id vulgò verbo Arabico *almozarifazgo* ap-  
pellatur. l. 5. tit. 7. Par. 5. Et quid eius nomine hodie  
pēdatur, videre licet apud tit. 22. & 23. & 24. cum duo-  
bus sequent. lib. 9. Recopilatio. Sed neq; quidem illi  
Regi Alfonso perpetuò hoc tributū genus cōcessum  
fuit à populo, sed tantisper dum bellum, quod ad præ-  
sens

sens cū Mauris, Numidisq; gerebat, duraret, vt ip-  
sius Chronicū declarat. Proin Rex Petrus eius filius  
(cuius est præter cæteros apud nos nobilitata crude-  
litas) rursus hoc tributū à ciuibus impetrauit, vt in  
illius Chronica refertur. His igitur autoramētis tri-  
butū hoc originē habuit: dein vsu paulatim in assi-  
duā muneris exactionem incidens (quoniā, vt est in  
Prouerbio: Sēper sceliciter cadūt Louis taxilli) factū  
est vt postremo in necessariam legis autoritatē eua-  
deret. Non erit ab re tamē, vt dispiciamus quare hoc  
10 tributū genus hoc Alcabalæ nomine vtatur; id enim  
neq; in illo Alfonso Chronico, neq; alibi quoq; (ni  
fallor) expositū inuenies. Et quātum quidē coniectu-  
ra consequi possum, hoc nomē ab Hebraica lingua  
(id est, à Iudæis) originē traxit. Apud istos enim ver-  
bū *cabala* tantundē significat, quātū receptio. vt in-  
terpretatur Neuzanus, ex Pici Mirandulę lectione,  
in Sylua nuptial. li. 5. n. 33. Fortassis igitur Iudæi, quo-  
rū mos erat huiusmodi vectigalia cōducendi, quorū  
que opera Reges in horū munerū exactione vti sole-  
bāt, sicuti in illo Alfonso Chronico memoratur, hoc  
nomē sua lingua imposuere: ita appellātes quasi esset  
alia cabala, id est, alia nouaq; muneris receptio. Ete-  
nim tametsi omnis Hispani sermonis idioma à lati-  
na lingua originē traxerit, vt cū aliās alij ex nostra  
tibus notant, tum Florianus à Cāpo in suo Chroni-  
co, & re ipsa cuius paulisper verba nostra cōsiderāti  
facile apparebit: ob idque Romanè nos loqui (id est  
vulgò, en Romāce) dicimus. Id quod nobis cū cate-  
11 ris nationib; Christianis saltē cōmune est. Etenim,  
vt Valla inquit, nō solum Hispania, sed etiā Gallia,  
F 2 &

In proemio l.  
bri primi Ele-  
gan.

& Germania, Pannonia, Dalmatia, & Illiryçû, multaq; aliæ nationes loquendi idioma à Latina lingua mutuatæ sunt. Illudq; etiam Imperio Romano è ceruicibus excusso, vsq; nunc & sanctè & religiosè retinent. Enimvero Romanis illud in primis maximæ curæ fuit, vt quas gentes suæ ditioni iugarent, statim ad suæ linguæ vsum & communionem impellerent.

Lib. 2. cap. 1.

Proin, vt Valerius refert, illud cum magna perseverantia custodiebant, ne Græcis vnquam nisi Latinè responsa darent: quin etiam ipsa linguæ volubilitate, qua plurimū valent, excussa, per interpretè loqui cogebant, nō in vrbe tantū sed etiā in Græcia & Asia: quò scilicet latinæ vocis honos per omnes gētes venerabilior diffunderetur. Primus autem, qui Hispanos Latina lingua loqui instituit, fuit (Plutarchus est autor) Sertorius Romanus. Is enim proscriptione Sylana Roma exulare coactus, Hispaniam venit: ibiq; Lusitanorum dux factus, & roboris & ingenij egregia facinora edidit, vt memoria est proditū, & historia vbiq; cōmemorant. Hoc igitur autore Hispania proprio sermone libello repudij dato, alienum (id est, Romanum) accepit. Soli Cantabri, qui vulgò Vizcaini dicuntur, in proprio sermone perseverauerunt, quo etiam & hodie vtuntur: is enim, cum Romano siue Latino, ac per hoc neq; cū nostro, quo hodie vtimur, affinitatē habet nullā. Quod quidē, vti Frater Alphonfus Venerus in Enchiridio temporum scribit, maximū præstat argumentum, illius gētis loquelam proprium ac originarium totius Hispaniæ sermonē fuisse, & quo olim ante Romanorū in Hispania dominatū utebamur. Tantā verò affinitatem

ver-

Plutarchus in  
vita Sertorij.

vernaculus hic noster sermo ac Latinus inter sese habere videtur, vt pridè legisse me Salmaticè meminere Oratiunculā quandā, vt ferebatur, à venerabili ac iuxtā doctissimo Siliceo Toletano Episcopo cōpositā: quæ ita quidē cōmunibus vtriq; linguæ verbis scripta erat, vt eadēmet verba & Hispanū & Latinū sermonē promiscuè redderent. Igitur quanuis sermonē nostrū vulgare à Romanis fluxisse cōstet: at qui Mauris Iudæisq; promiscuè nobiscum (quod Deus vtinā auertisset) cōmorantibus, factū est vt isto rū nōnulla vocabula in nostrū sermonē irreperint. inter quæ me hercle hoc nomē Alcabalæ (vt dixi) fuisse auguror. Hæc ad huius nominis etymologiā, ad nostræq; linguæ rationē, atque insuper in vetustatis gratiā à nobis tā lōgè repetita, quoniā vulgaria non iunt, ingrata videri nō debent. nūc aliò transgrediamur. Ex superioribus autē illud cōsequitur, nō posse hoc vectigalis munus sine peccato fraudari. Etenim ab omnibus in eā sentētiam pedibus itū est: vectigalia iure cōstituta fraudari citra peccatū nō posse. erit itaque fraudator restitutioni obnoxius. Hanc cōclusionem latius expensam (ne rem actā agamus) videre poteris apud Berrach. de gabellis. 9. par. & Syluest. verb. Gabella. 3. Otalo. de nobil. 1. par. c. 3. Nauar. in Manuali. c. 17. nu. 200. Socin. reg. 164. Minchaca de succes. creatio, lib. 1. §. 10. n. 648. & nominatim in huius vectigalis munere, de quo agimus, ad vnguē ac cū distinctione expendit Dominus Præsul Couarru. in regu. Nō dimittitur peccatū. §. 5. Etenim hoc tributi genus iure impositū fuisse, ex iustaq; causa ex inde arguitur, quòd sui origo hominū memoriā ex

F 3 ce

cedat, iuxta ea, quæ scribit Felin. in. c. Cum nobis de præscrip. & probatur apud nos in. l. 16. tit. 27. li. 9. Recopila. Quapropter haudquaquam erit audiendus, alioqui eruditissimus Auendanus, qui in suo Dictionario, verb. Alcabala, scribit hoc tributum genus impune posse fraudari: nisi fortè illius opinionem intelligas, secundum distinctionem à Couarru. loco supra citato positam. Exsupradictis quoque admoner, ut attin<sup>14</sup>gam hic, an nostrates leges de huiusmodi vectigalis munere disponentes, sint odiosæ, an potius favorabiles. Erit huius disputationis effectus, nã si odiosæ sint, strictim quidem: si favorabiles, benignè erunt interpretandæ. Odiæ enim restringi, & fauores cõuenit ampliari, ut est regula constitutum. Et sanè nostris interpretibus placet huiusmodi vectigalia odiosa esse Bart. in. l. Si pupillus. §. si. ff. ad legem Aquil. Iaso in. l. Fructus. n. 17. ff. soluto matrimo. Atego licet istorum opinionem in casu, de quo tractat, veram esse censeam: nequaquam tamen ad nostrates leges Regias protrahendam puto. Sanè ipsi loquuntur in vectigalibus ab statutis municipalibus iusta. statuta verò & aliqui odio laborare manifestum est. Atqui nostrates leges non statutorum, sed iuris communis naturam sortiuntur. ut notat Pala. Ruui. in introductione rubri. de donatio. n. 3. proinde tale odium minimè eas tangit. Quid putas ergo? Has nostrates vectigalium leges odiosas non esse. Quid ita? Quia vectigalia ea, quæ iure communi introducta sunt, odiosa non sunt, sed favorabilia potius. Vnde id tibi quaeso? Ex. l. 1. ff. de loco publi. fruendo. Interdum etiam hoc, inquit Iuriconsultus, publicæ utilitatis causa proponi palam est. Tuetur enim vectigalia publica. &c. Quod

Quod autem ad utilitatem publicam pertinet, hoc nemo merito odiosum esse dixerit. At in quo hæc publica versatur utilitas? Nepe ut sit Regi unde sumptus tum domi, tum belli necessarios & sustentare & suppeditare possit: sine his enim certum est, neque se Regiam maiestatem seruare, neque populos ab hostibus tutari commode posse: demum ne his deficientibus cogatur grauioribus tributis subiectos onerare. Hæc rationes edicti in. l. 18. Part. 3. & cõprobatur ex ijs, quæ traduntur alij relati ab Otalora de nobilita. i. par. c. 3. Atque hæc de causis non iniuria Regia lege definitum est, hæc tributa nulla temporis præscriptione, ne immemoriali quidem, acquiri posse. l. 2. tit. 15. lib. 4. Recopila. Ergo tametsi vectigalia municipalibus statutis impressa odiosa sint: ea tamè, quæ nostratibus legibus indita sunt, tanquam favorabilia habenda censeo. Quod si adhuc de eo dubitas: ipsas vectigalium leges legito, ac comperies quot, quantisque fauoribus scateant. Id tamen quemadmodum intelligendum sit, paulò post declarabimus.

### §. PRIMVS.

**E**cclésiæ, Ecclesiasticæque personæ vectigalis immunes esse. n. 16.

Ecclesiasticorum fructuum conductores vectigali non excimuntur. n. 17.

Quod quis pro animæ suæ piaculo reliquit vectigali immune est. n. 18.

Commendatores qui dicuntur, scolaresque, an debeant vectigali.

ibid. n. 19.

Cæcus non habet vectigalis vacationem. n. 19.

F 4 Locam-

*Locantes vectigalia, an vectigali obnoxij remaneant.*

n. 20.

*Alcabala munus duntaxat debetur ex venditione & permutatione.* n. 22.

*Opifices an ex opificijs suis debeant vectigal.* n. 23.

24.

*Aquatores vectigal ne debeant, quid item de niue.* num.

25.

*De contractu inter patrem, filiumq; an vectigal debeat.*

n. 26.

*Utrum ex cessione vectigal debeat.* n. 27.

*Ex emphyteosi, vel locatione ad longum tempus, vectigal non debetur.* n. 28.

*Ex bonis ex causa iudicati addictis, an vectigal debeat.* n.

29.

*Cum debitor aliud pro alio creditori soluit, an vectigal debeat.* n. 30.

*Ex transactione, litis ve aestimatione, vectigal non debetur.*

n. 31.

*Cum res aestimata vendenda datur, an vectigal debeat.* n.

32.

**A**T Q V E de primo membro dictum est. Nunc ad quas personas hæc vectigalia incubant, dispiciendum. Sciendum est igitur, hoc vectigalis munus (quæ Alcabala vulgò vocatur) apud nos, omnes homines, cuiusq; cõditionis ij fuerint, comprehendere. sicuti apparet ex l. 1. tit. 18. lib. 9. Recopila. paucis tamẽ exceptis, vti ex illo titulo apparet. Atq; in primis in l. 6. excipiuntur Ecclesiæ, Ecclesiasticæq; personæ, & rectè. Nã hæc nõmodo humano iure, sed etiam di-

ui

uino, ab omnibus muneribus immunes sunt. c. Quãquam. de censib. in. 6. Duennas regu. 100. & tradit ex-  
 cõtius Dñs Couarr. practic. quæstio. c. 31. n. 1. vbi tra-  
 ctat, an eadem immunitas pertineat ad Clericos minori-  
 bus tantũ ordinibus initiatos: sed id modò lege re-  
 gia definitũ est. Ea est. l. 2. tit. 4. lib. 1. Recopil. quæ de  
 finit hos minorib9 ordinibus initiatos huius immu-  
 nitatis participes nõ esse: nisi modò verè beneficiũ  
 ecclesiasticum habeant. Notandũ est tamẽ, hoc pri-  
 uilegiũ Clericis concessum non porrigi ad eas res,  
 quæ mercimonijs causa ab ipsis venierint, vel permuta-  
 tate fuerint. tex. in c. fidei vita & honesta. Cleri. Cle-  
 men. Præsenti. de censib. l. 9. tit. 6. Part. 1. l. 7. titu. 18.  
 lib. 9. Recopila. In quo tamen non eris dissimulan-  
 dum, illa iura Pontificia, item & illa lex Partite nõ  
 continuo Clericum mercimonijs vacans huius-  
 modi immunitate priuare: sed ita demũ si prius ter-  
 à suo Episcopo commones factus, à tali negotiatione,  
 se noluerit temperare. Sed neque est præterfundum  
 Grego. Lopez in d. l. 49. existimare hanc triam mo-  
 nitionem hodie necessariam non esse. quòd dicat  
 illam legem Regiam. Ordinamenti recentiorum ni-  
 hil tale postulare. Ego verò haud scio, an hoc casu  
 canones legibus, an potius leges canonib9 cedere de-  
 beat, quandoquidẽ hoc privilegiũ sit. Clericis con-  
 cessum iure diuino, cuius interpretatio ad Romanũ  
 Põtificẽ potius pertinere videtur. c. Nouit. de iudic.  
 Quãdo verò Clerici dicantur negotiatores, & quibus  
 officijs iure interdicanter, legendus est Bertach. de  
 gabellis. 7. par. n. 10. & Antibalus de munerib9. 3. par.  
 §. 1. n. 115. Si verò super hoc disceptatio incidit: hu-

F 5 ius

ius rei cōgitiō spectabit ad Iudicē Ecclesiasticū, nō ad laicū, sicut dicitur Herrach loco modò citato. nu. 24. A qua tamē opinio est quā musitando dissentit Gregorius in d. 49. tit. 6. Par. 1. Illud palā est. Clerico rē tractatō rēdhibet q; rē ratione familię seu cognatiōnis debet eō vctigal solvere, quando scilicet emptor ex pactiōne soluit, iuxta decisiōne. l. 9. tit. 11. li. 1. Ordina. Tūc enim vctigal, quod ad ipsum emptorē seu rē tractantē attinet, nō loco muneris, sed loco pretij habetur. Illud quoq; meminisse debemus, 17  
 eos, qui sacerdotiorū seu beneficiorū (ut vocantur) redditus educti, nō posse hoc privilegio. Clericis ipsis cōcesso uti. imō debere vctigal ex taliū redditū venditiōne seu p̄mutatione ut est argū. l. Licitatio. §. ff. de publicis & vctig. *Filius, inquit, ab omnium vctigalium p̄stationibus immunitus est: mercatores autem, qui de fundis fiscalibus mercari consueverunt, nullam immunitatem solvendi publicis vctigalis v̄sū para possunt.* Est etiam argūmēto Milesi ff. ex quibus caus. m̄aib. & al. c. quibus muneribus excus. lib. 10. & hanc sententiā amplectitur Bart. in d. l. Licitatio & Antipolus de muneribus. 3. par. §. in 7. & Boerius Decid. 23. n. 19. & ex nostratibus Castellus in l. 13. Taur. m. 10. Et nō allegationes in eūdem casu, si placet, poteris huius sententiā plures assertores legere apud Tiraq. de retract. linag. §. 1. gl. 13. n. 12. eoque iure utimur. Obliviscendum etiam non 18  
 erit, vctigal non deberi ex venditiōne earum rerū, quę pro animę expiaculo relicta fuerint, si credimus Berthachi de gabellis. 8. par. membro. 5. n. 5. Qui vero de Cōmendatoribus, quos vocant, quantum ad ius commune attinet, consulto Minchacā, de

de succel. creatio. lib. 3. §. 30. 3. par. n. 306. & Dueñam, regu. 100. amplatione. 5. Quod ad ius Regium verò attinet, lege tex. in l. 9. tit. 18. li. 9. Recopil. Et an Scholares teneantur etiam ad huiusmodi vctigalis pensionem, quod ad ius commune attinet: si placet, lege Auēda. in c. Correct. 2. par. c. 14. n. 30. Quod ad Regium ius verò, legito. l. 3. tit. 7. lib. 1. Recopila. At illud penē memoria exciderat, lite super Ecclesiastico beneficio pendente, fructus sequestra commissi fuerit, forsā laico cui piam: is igitur fructus vendidit. Queritur an vctigal debeat. & constat non deberi. quia is non suo, sed alieno nomine, id est, Ecclesie negotium gerit. l. Licet. ff. de depositi. Tradunt Doct. in ca. Examinata, de iudic. & in Clemē. 1. de sequest. 19  
 At illud memini in discrimen adductum: An cecus ab hoc munere esset immunis, & summa quidem rē hęc est. Cecus à muneribus personalibus excusatur, à patrimonialibus secus. l. 1. C. qui morbo se excus. c. Licet. de cētib. & vtrobiq; Doctores. At vctigal nō personale munus est, sed patrimoniale. l. 1. ff. de mune. & honorib. Bart. in l. Honestā. §. Vctigal. ff. de privileg. veteran. glo. in l. Venditor. §. Si quid. verb. *tributorum.* ff. de heredita. vel actione. v̄dij. R. d. inquitur ego. cecos ab huiusmodi munere, excusationem vllam non habere. An verò ex translatione cadaveris ex vno loco ad alium, vctigal vel tributum debeat, (nam & id quoque ex facto quanti solet) vide 20  
 Afflict. in. Cōstitu. Neapol. lib. 3. rub. 56. n. 4. Verū hęc plana, illud verò nō mediocriter cōtrouertifollet: an vctigalibus locatis, is, qui locavit, ad hoc etiā

manus teneatur. Et planè in Rege vel Fisco hæc quæ-  
 stio definita est; in l. Licitatio. §. Fiscus. ff. de publi.  
 & vectig. & in l. 3. tit. 18. lib. 9. Ord. quibus cauetur Fis-  
 cum vel Regem huiusmodi vectigal nō debere: sed  
 in istis quidem quadā speciali ratione id receptū vi-  
 tur: quia scilicet vectigaliū præstationūq; omnium  
 immunitatem habeant, sicuti in illo. §. Fiscus. datur  
 intelligi. Porro in cæteris, quibus hæc nō est data im-  
 munitas, nō nihil dubitationis est, in quo utiq; neq;  
 sibi neque inter se satis Doctores cōstant. Siquidem  
 Bar. in d. §. Fiscus. negat vectigal deberi. Idē etiā pla-  
 cet. Bal. in l. Emptor. C. de heredita. vel actione vèd.  
 Et ne multus sim, hæc dicit cōmunem & veriorē sen-  
 tentiā Boërius Decis. 213. n. 1. & 2. Cōtrariā verò sen-  
 tentiā amplectitur idē Bar. parū sibi constans in l. 1.  
 C. de nauicul. lib. 11. Has verò opiniones ita cōciliā-  
 das putat Bertachi. in illo tract. de gabellis 7. par. q. 8.  
 ut prior opinio procedat in fisco, altera in alijs vni-  
 uersitatibus nō habētibus fiscū, & sic minūs priuile-  
 giatis, ut eius verbis utar. cuius op̄inonē tanquā pro-  
 aris & fociis verā cōtēdā. & sanè in priori mēbro, sci-  
 licet de fisco vel Rege, nulla est dubitatio, ex illo. §.  
 Fiscus. & d. l. Regia. Sed ex hoc quoq; cōsequitur, ne-  
 q; in alijs esse dubitationē: nā quādo in fisco vel Re-  
 ge id specialiter recipitur, apertè datur intelligi, ali-  
 ud in cæteris recipiendū esse. Deinde quòd cæteri præ-  
 ter Regē vel fiscū teneantur cōductori vectigal solue-  
 re, cōuincitur ex eo, quod vulgò dicitur, cōtraeū, qui  
 legē potuit dicere apertius interpretationē esse faciē-  
 dā. reg. Cōtraeū. de reg. iu. in. 6. proinde aduers⁹ stipu-  
 latorē, qui uerba latè nō cōcepit, fit interpretatio in l.

Quid

Quid quid astringenda. ff. de verb. oblig. Proinde in  
 contrahēda emptione, ambiguū pactū cōtra vendi-  
 torē est interpretādū. l. In cōtrahēda emptione. ff. de  
 reg. iur. Proinde veteribus placuit pactiōnē obscurā  
 vel ambiguā, ut vèditori, ita & ei, qui locauit, nocere  
 in quorū potestate fuit legē apertius cōscribere. l. Ve-  
 teribus. ff. de pact. Igitur cōtra istū vectigaliū locato-  
 rē, quia debuit apertius legē dicere, sibiq; cauere, in-  
 terpretatio est faciēda. Quā rationē à nemine Inter-  
 pretū animaduersam fuisse miror. Illud autem parū  
 me mouet, quod aiūt, in generali sermone loquentis  
 personā nō cōprehēdi: nā imò regulariter cōtrariū  
 recipitur, ut scribit Bart. in l. Paulus. §. si. ff. de pig. & a-  
 21 lij relati à Boërio Decis. 213. n. 16. Ergo si magnates  
 hui⁹ Regni in vectigalib⁹ locādis sibi nō caueāt, ni-  
 mirū cōductorib⁹ exigēdi ab illis vectigal actio erit.  
 Ij enim fiscū nō habēt, ut notat Dñs Antistes Iacob.  
 Simā. vir sanè tā eloquentissimus, quā Iuriscōsultif-  
 simus, in catholicis Institu. tit. 9. n. 128. Idē iudicādū  
 est de publicano principali, seu maiori, alteri mino-  
 ri vectigalia locāti. quod pertinet ad ti. n. & n. lib. 9.  
 Recopila. vbi de his cōductoribus maioribus mino-  
 ribusq; tractatur. Ex his quoq; decidi potest quæstio  
 illa, de qua pridē me cōsultū fuisse memoria repeto:  
 an clericus, qui alteri beneficij sui redditus locauit, te-  
 neatur cōductori decimā soluere, iuxta ea, quæ no-  
 tantur in c. Nouū genus. de decimis. Secundū hæc  
 cōueniēter dicēdū erit, si quis publicano ipsi rē di-  
 straxerit, vectigal publicano eidēq; emptori ab ipso  
 vèditore deberi, si modò aliud actū non sit, tū ex su-  
 perioribus, quia scilicet legē debuit dicere apertius,  
 tum



tum quia vectigal extra pretium est: immerito ergo desiderat venditor, ut vectigal in pretio computetur.

§. SECVNDVS.



E personis, ad quas vectigalis munus incumbat, habetis: modò ad quos contractus pertineat, accipite. Sciendum est igitur, hoc vectigalis genus, de quo sermonem facimus, nò in vniuersum omnes còtractus comprehendere, sed venditionem & permutationem duntaxat. l. 1. & 2. titu. 17. lib. 9. Ordina. Venditionem autem hìc strictim accipere debemus. Quamuis enim alioqui emptionis & venditionis appellatone omnis alienatio comprehendatur. l. Statuliberi. §. Quintus. ff. de statuliber. tradit effusè more suo Tiraq. de retract. l. in ag. §. 1. glo. 2. n. 1. At ist hìc aliud recipiendù erit: nam (ut omittà) illù. §. Quintus. multis limitationibus restringi, & multi farià à Doctoribus intelligi, ut est videre apud Iaso. in. l. Iuris gentium. n. 7. ff. de pact. Fabianù de Mòte, de emp. & vend. q. 2. Duenam, regu. 239. & Pinellum Lusitanù virum in primis eruditum. in. l. 2. C. de rescind. vend. 2. par. c. 1. n. 12. At venditionem hìc strictim accipiendà nostrates leges apertè significat, tùm mentione de pretio facièdo, tum quia nò fuisset opus de permutatione quidquam adijcere, si venditionis vna appellatone voluisset legislator omnes còtractus còprehendere. Deinde apud nos, ex còmuni loquendi vsu, ea appellatone nò omnis contractus còprehèditur, sed tantùm emptio & venditio propriè strictim-

ctimq; accepta, sicuti & in Regno Franciæ testatur quoq; Tiraq. loco modò citato. Còmuni autè loquèdi consuetudine, vel proprià verbi significatione cedere, manifesti iuris est. l. Librorù. §. Quòd tamè Cassius. ff. de lega. 3. l. Labeo. ff. de supell. legata. & in hac specie tradit expressim Tiraq. loco proximo. Demù ne nimium disputando ré alioqui apertam dubiam reddamus: hoc munus non ad omnes còtractus, sed ad venditionem permutationeq; duntaxat pertinere, moribus satis est còpertum. Verùm, quia propter viciniã, quam nò nullè còventiones cù vèditiõne & permutatione habèt, quæstiones frequètes incidunt: in his paulisper nos periclitati oportet. Et primù videamus de Artificibus, utrù ex venditione operum, quæ in suis officinis fiunt, vectigal debeat. Et debet riquidè nò obscurè ex nostratib9 legibus colligitur quosdã ex eis tantùmmodo excipientibus, ut est videre in tit. 18. lib. 9. Recopil. Exceptio ergo (ut vulgò aiunt) firmat regulam in còtrarium, Sanè tametsi pleriq; artifices personaliù munerum excusationem habeat. l. 1. C. de excusatio. artifi. li. 10. l. fi. ff. de iure immun. Atqui hoc vectigalis munus nò ad personalia munera, sed ad patrimonialia refertur, ut paulò antè diximus. Ita tamè intelligendù est opifices vectigalibus obnoxios esse, si modò opera ipsa non magis ad còductionem attingant, quàm ad venditionem: nã ex locato vel còducto vectigal nò deberi palàm est. Quemadmodum verò intelligere possimus, an còventio in venditione vel locationem cadat, ostèdit eleganter Iurisconsultus in. l. Conuenit. & in. l. Sabinus. ff. de contrah. empt. Et summa quidem rei hæc est.

est. Quoties is, cui opus fit, præstat materiam, ex qua 24  
opus fiat, opifex verò tantū dat operam: locatio qui-  
dem est, non emptio & venditio. At quando artifex  
dat operam & materiam: tunc emptio & venditio est.  
Hæc cōclusio colligitur ex illis legibus, & tradit Fa-  
bianus de Monte, de emptione & vendi. q. 2. n. 28. exē-  
pli gratia: Conuenit mihi cum aurifice, vt ex auro  
vel argento suo certi ponderis certæq; formæ annu-  
los, putā, vel vasa faceret, & acciperet (verbi gratia) de-  
cem aureos: emptio quidem & venditio cōtrahitur.  
At si conuenit, vt ipse aurifex ex meo auro vel argē-  
to faceret, mercede pro opere constituta: locatio &  
conductio quidem erit. §. Item quæritur. Instit. Lo-  
cati. idq; in hac vna specie positū, ad multas potest  
transferri. Quæramus autem de Aquatoribus. Et sa 25  
nè licet alicubi aqua venalis sit, vt Aphrica, & AE-  
gypti, atq; Rauennæ iuxta illud Iuue. *Sit cisterna mi-  
hi, quam vinca malo Rauennæ.* Cū possim multo ven-  
dere pluris aquam: apud nos verò venalis non est. l.  
Mela. §. fi. de alim. & cibar. lega. Cū igitur venalis  
nō sit, huiusmodi aquatores nō tā aquā vèdere, quā  
asportādi operā locare videtur: proinde placet eos  
vectigal nō debere. Quid ergo de niue & videamus  
an sit idē, quod in aqua; nā & ipsa ex aqua fit, postea  
que rursus in aquā conuertitur. itaq; quæ modò fuit  
filia, mox mater efficitur. De ipsa nanq; fertur illud  
ænigma.

*Mater me genuit, eadem mox pignitur à me.*

An potius non sit idem, quod in aqua? in quo pro-  
cliuor sum: tum quia vtriusq; non eadem est onfia.  
quōcirca inter omnes constat in niue baptismum  
non

Onfia, id est,  
essentia, vt in  
serpretatur

non rectè fieri: tum quia non par est vtriusque facul-  
tas. Aqua siquidem nunquam non omnibus patet.  
Proin (vt diximus) non ipsa venditur, sed feren-  
di opera locatur. At nix, et si dum ningit, omni-  
bus pateat: porrò dum est vsui, non omnibus illius  
copia datur, sed illis duntaxat, qui illam in tem-  
pus reposuere: quamobrem non modo ipsa opera  
seruandi, sed etiam ipsa nix, venditur. itaque vecti-  
gal deberi placet. Caterū ne niue frigescamus,  
26 transeamus aliò. Tractemus itaq; venditione permu-  
tatione ve inter parètes liberosq; contracta, an vecti-  
gal debeatur: & debetur quidē, si credimus Bart. in.  
l. i. C. de imposit. lucra. descrip. cui astipulantur alij  
non pauci, relati à Tiraq. de retract. linag. §. 32. gl. v-  
ni. n. 47. Sed pone quem coactum fuisse à magistra-  
tu inuitum rem suam distrahere, putā propter eadem  
sacram ædificandam, aliasq; multas causas, quas ad a-  
musim explicat Socinus, siue quis is fuit (incertus  
enim est author) in reg. 435. & Dñs Couar. lib. 3. varia-  
rum. c. 14. an & hīc vectigal debeatur? & prope est ve-  
ctigal non deberi. quoniam necessitas à vectigalis  
munere excusationem præstat. l. Cæsar. §. Si propter  
necessitatem. ff. de publi. & vectig. Bar. in. l. i. C. de  
nafrag. li. ii. A Equè etiam & propter necessitatem  
laudemium (quod vocant) non deberi ab emphiteo-  
ta vendenti, probat Ias. in. l. fi. C. de iure emphit. nu-  
me. 47. & deniq; plerunque necessaria alienatio ex-  
27 cusat, vbi voluntaria non excusaret. l. Cū fidei cō-  
missum. ff. de fidei cō. liber. & illic glo. Quæritur de  
inde nec immeritò, an ex cessione vectigal debeat-  
tur. s. quæ pretio dato fiat: nā tū pro emptio & vèdi-

Quintilia. lib.  
3. insti. c. 7. V-  
titur hoc no-  
mine Juriscōf.  
in. l. In vendi-  
tionibus. ff. de  
contah. emp.  
vbi videas Bu-  
dæum.

G tio-

tione habetur. l. Per diuerfas & l. Ab Anastasio. C. manda. sed de hoc non longa disputatione opus fuerit, cum recorder hanc quaestionem iam pridem à Baldo & propositam, et absolutam fuisse, in l. Cum per eos. C. si quis alteri vel sibi. ad calcem, in hac verba: Pone, dicit statutum, quod de quolibet contractu solvatur gabella, et fuit soluta de contractu emptionis: an solvatur de contractu cessionis. Respondeo, aut cessione est executio seu exercitium illius contractus, ut quando procurator cedit domino, & non solvitur noua gabella: aut est contractus per se non oriens ex priori, & tunc noua gabella debetur: quia ubi nouum factum, ibi noua obligatio: sed ubi vnum & idem factum, non dicitur noua obligatio. Hanc Baldus: cui subscribit Bertach. de gabellis. §. par. q. 12. Ergo si cessione ea lege fiat, ut cessionarius res alienum cedentis soluere teneatur: dicendum est vectigal deberi, ex ijs, quae tractat Tiraq. de retract. linag. §. 1. gl. 14. n. 114. Ex his apparet quid statueri deum sit, si quis data pecunia procurator in rem suam constituitur, vel actio aliqua vendatur, scilicet ex pretio dato vectigal deberi. Quaestio est etiam, an in em

28

phiteosi vel locatione ad longum tempus, vectigali sit locus? Et sane similem quaestionem in retractu familiaris praedij tractant plerique: omnes: & fit quamuis inter ipsos non parua dissensio, magis tamen inter eos conuenit non esse locum retractui, modo fraus cesset, uti videre licet apud Tiraq. de retract. linag. §. 1. glo. 14. n. 79. cum seq. & Dominus Couarru. lib. 3. variarum. c. 2. n. 3. Ergo idem isthic sequendum videtur, scilicet vectigali locum non esse. dum modo in fraudem contractus non fiat. Id quod etiam nominatim placuisse video Boë-

rio,

rio, Decis. 234. n. 5. Illud quoque inter pragmaticos disceptari solet: bonis ex causa iudicati, vel (quod par est) instrumeti guarantigij (quod vocant) creditori addictis, an vectigal debeatur? Et sane Bertach. in dicto tractatu. 8. par. membro. 3. n. 10. negat ex ea causa vectigal deberi, ex eo quod in iudicio non proprie contractum dicatur. Cui ipse utique non inuitus assentior, cum intelligam eo casu non proprie emptionem & venditionem contractum. l. Si praedium. C. de emptione. gl. in l. à Diuo Pio. §. Si pignora. ff. de re iud. l. si. tit. 27. par. 3. Tradit effusus Tiraq. de retract. linag. §. 1. glo. 1. n. 8. cum seq. Neque putet quis nos incostanter agere, qui cum paulo superius has leges fauorabiles dixerimus, modo eas ad hunc casum emptioni similem haudquaquam protrahendas putemus. Etenim fauorem illum, quem diximus, in vectigalibus conseruandis, non in ampliandis, versari putamus. Primum, quia ea, quae à iure communi exorbitant, ad consequentiam nequaquam sunt trahenda. ut in regu. Quae à iure. de reg. iur. in. 6. Deinde, quia receptum est in ambiguis quaestionibus, contra Fictum lucrum praetendentes, interpretationem esse faciendam. l. Non puto. ff. de iure ficti. De cuius intellectu disceptat Dominus Couar. lib. 1. variarum. c. 16. & Dominus Iaco. Sima. in catholicis institutioni. 9. n. 53. diuersum igitur fuerit, si non ipsi creditori, sed alij pluris licitati, bona addicta fuerint: siquidem eo casu proprie emptio & venditio contractum dicitur, sicuti acutè animaduertit Tiraq. loco modo citato, & nostras Gre. in l. 55. tit. 5. par. 5. ver. vender. Et hoc quidem casu est accipienda. l. 9. titu. 11. lib. 6. Recompila. quae ex bonis in publica auctione venditis vectigal deberi significat. Cautio erit igitur, ut hoc casu vectigalis danum auertatur, ut creditori bona addi-

G 2 ca

cantur: nam & alioqui inter quatuor remedia, quæ creditoribus dantur, quæ refert gl. in d.l. A diuo Pio. §. Pignora. hoc est magis præfens & vtile ad creditorum indemnitatē, vt illic refert Iaso. Quid ergo statuendum putas, quum debitor aliud pro alio creditori sponte sua soluit? Et Bertachi. quidem loco modo allegato. q. 4. putat vectigal deberi, nisi quando species pro specie soluatur. At ego (ex cādescāt quā quā in me Publicani) neq; hinc vectigal deberi existimo. Enimuerò licet datio in solutum emptionis & venditionis vicem obtineat. l. Si prædium. C. de cui et. & tradit copiosè Tiraq. dicto. §. 1. gl. 14. at, vt ipse Tiraq. ostendit, & rectè probat, emptio & venditio propriè non est. Has verò leges vectigalium ad similes contractus porrigendas non esse, modò asseruimus. Si tamen Bertachini opinio sequenda esset, nihil, quod ad nos attinet, interesset, an species pro specie solueretur: si quidem & tunc in quasi permutacionem caderet. vt docet Bart. in. l. Si quis aliam. ff. de solutio. Apud nos verò ex permutacione vectigal deberi constat. Et quoniam placet has leges vectigaliū ad similes contractus non esse protrahēdas, id quod etiam placuit Montaluo in. l. 2. tit. 4. lib. 3. Fori: consequens erit dicere, ex litis æstimatione, nedum ex transactione, vectigal non deberi: sit quamuis ipsa litis æstimatio emptioni similis. l. Litis æstimatio. ff. pro emptore. vbi Bart. bellissimè aperit, quando dicitur litis æstimatio, & quemadmodum à transactione determinetur. Hæc planè ita accipienda erunt, si modò in fraudem vectigalis conuentiones tales non fiant: nam ( vt vulgò dicitur ) fraus & dolus ne-  
 (mini

32 mini patrocinari debent. Quæramus quoq; quid, si res æstimata vendenda detur: quod aliquando incidisse scio. & puto quoq; vectigal non deberi, quia non est propriè venditio, sed contractus perse separatus. l. 1. ff. de æstima. actio. Si igitur ita couenerit vt emptio & venditio contrahatur: vectigal deberi dicendum est. Id quando fiat lege Bart. in dicta. l. 1. Fabrum, & ceteros. in. §. Actionum. Instit. de actio. Illud verò notandum est, quod scribit Castellus in. l. 69. Taur. n. 8. Si quis omnia sua bona donete lege, vt donatarius eum sustētare teneatur, vectigal ex contractu deberi. quod quantum ad nos attinet, verum non esse, nemo est qui non videat. Quæso enim quid is contractus cum venditione vel permutacione commune habet? At nostrates leges venditionis & permutacionis contractibus hoc vectigalis onus iniicere manifestum est. Lapsus est igitur Castellus, dū ea, quæ de gabellis (quas vocant) ab exteris Scriptoribus traduntur, omnino nostris legibus Regijs conuenire putat.

### §. TERTIVS.

**E**X contractibus innominatis an vectigal debeat. n. 33.

¶ 34.

Ex contractu imperfecto aut nullo, vectigal non debetur.

n. 35. ¶ 36.

An ex contractu perfecto, & partium deinde consensu dissoluto, vectigal debeat, nec ne. n. 37.

Ex venditione census temporarij (quem al quisar appellamus) an vectigal debeat. n. 38.

¶ 3 Ani-

*Animali propter morbum redhibito, an vectigal debeat.*

n. 39.

*Venditione rescissa propter lesionem ultra dimidiam iusti pro  
tij, an vectigal debeat.* n. 40.

*Quid si contractus alijs de causis fuerit dissolutus.*

n. 41.



**H**IC etiam scire velim, ytrum ex con- 33  
tractibus innominatis, do vt des, ve-  
ctigal debeat. Id vt penitiùs intelli-  
gi possit, sciendum est varijs modis a-  
liud pro alio dari solere. vt enim est  
author Bart. in l. Si quis aliam. ff. de solutio. n. 2. aut  
datur species pro specie, aut gen9 pro genere, aut spe-  
cies pro genere, aut genus pro specie. Genus hñc &  
speciē accipias iuxta interpretationē glo. in l. 2. §. 1.  
verb. in creditū. ff. si certū petā. Et quoniā quotidia-  
na hęc est materia, per singulos casus discurrendū no-  
bis est. In primis igitur, cū species pro specie vt de-  
tur, cōuenit, aut quidē datur species certa pro certa,  
putā vinea pro domo, & est cōtract9 permutationis:  
aut datur species incerta pro incerta, vel certa pro  
incerta: & his casibus nō dicitur cōtractus permuta-  
tionis, sed cōtractus innominatus, do des. iuxta gl.  
in l. 1. C. de rerū permutā. quam cōmunem illūc testa-  
tur Bart. Sin autem genus pro genere detur, aut qui-  
dem conuenit, vt genus pro eodem genere detur, pu-  
tā vinū pro vino, & est mutuū. Aut vnum genus pro  
alio reddendū est, velut vinum pro frumento, & est  
cōtractus innominatus, do vt des. Tantūdem erit si  
de-

detur species pro genere, vt ecce oues pro frumēto:  
aut genus pro specie, & tunc nō dicitur neq; mutuū,  
neq; permutatio, sed appellatur cōtractus innomina-  
tus, do vt des. Cæterū cū quātitas, id est pecunia  
numerata, pro genere vel specie datur, certū est em-  
ptionē & venditionē contrahi. Hęc docent Barto.  
cæteri; in l. 2. ff. si certū petatur. Ergo, vt propositā  
quæstionem absoluaus, quibus casibus mutuū con-  
trahitur: palam est vectigal non deberi. Certū est e-  
tiam in illis ad vēditionem vel permutationem per-  
tinentibus, vectigali locū fore. Porro in quibus dixi-  
mus cōtractus innominatos, do vt des, appellari, nō  
iniuriā dubitari poterit, an vectigal debeat, nec-  
ne: quippe cū hoc vectigalis munus ad venditio-  
nem vel permutationē duntaxat pertineat. Verū iu-  
ra superioribus casibus nullū cōtractus nomē impar-  
tiuntur, sed tātummodo cōtractus innominatos ap-

pellant. Auget dubitationē, quòd etiam nostrati iu-  
re durat differentia cōtractuum nominatorum & in-  
nominatorū. l. si. tit. 6. Par. 5. Veruntamen his nō ob-  
stantibus magis adducor, vt existimem etiam in his  
casibus vectigali locū esse. Etenim leges Regiæ non  
vtuntur verbo permutationis, sed nostro vulgari no-  
mine, Trueque. Apud nos verò, si comunē loquen-  
di vsum cōsulas, intelliges hoc nomine omnes illos  
contractus innominatos, do vt des, cōprehēdi, neq;  
alio nomine appellari. vectigali ergo locus erit, quā-  
do quidem ex communi vsu loquēdi verba sunt acci-  
pienda. l. Labeo. ff. de supellect. lega. Accedit huc,  
quòd etiā his casibus nō paucis placuit permutatio-

nem dici, vt est videre apud Pinellū, in rubri. C. de rescind. vend. 2. par. n. 10. c. 1. Et denique hanc sententiam non obscure significat. l. 2. tit. 17. li. 9. Recopila. vtitur enim verbis generalibus. *Mandamos* (inquit) *q̄ todos los trueques, q̄ se fizierē de unas cosas a otras, semejātes, y no semejātes, quier interuenga en ello dinero, ò no: se pague alcavala.* Quę quidē verba latē patēt: istosq; cōtractus in nominatos, do vt des, cōprehēdere proculdubio vidētur. Non aliter etiā si quis certo pretio rē dare promiserit, quamuis talis conuētio non sit emptio. & vēditio, sed contractus innominatus, quia vēditio, ad tradendum, non ad dandum obligat. sicuti in. d. l. fi. ff. de condict. caus. da. tradunt Doctores. & in. l. 2. ff. si cert. peta. & explicat satis commodē Pinellus Lusitanus. in rubr. de rescind. vendi. 2. part. cap. 3. nu. 9. At quia eo casu vulgō emptionem & venditionē contrahi dicimus: vectigali locus est: sicuti in propria specie (ne autoritate defici videamur) scribit Franciscus Lucanus, de Fisco. 4 par. n. 43. Aliud quidem erit recipiendū in ceteris cōtractibus innominatis, do vt facias, vel facio vt des, vel facio vt facias. Nā hę quidem conuētionēs & apud nos emptionis vel vēditionis nomē nō habēt: & quod ad ius pertinet, magis ad locationis naturā accedere vidētur. l. Naturalis. §. At cūm do. ff. de præsc. verb. Idcirco in ea causa res est, vt his casibus vectigal nō debeat. ac de hac quæstione satis. Ergo vt ad reliqua pergamus, iā illud nemo dubitauerit, si cōtractus perfectus nō fuerit, vectigal non deberi. Bertach. in dicto tract. 3. mēbro. 8. partis. q. 43. Proinde si contractus sub conditione fiat, non antea vectigali locus erit, quā con-

conditio extiterit. l. Hęc venditio. ff. de contrahen. empt. Conditione verò existenti, vectigal pertinebit ad publicanum, qui erat tempore contractus, nō ad eum, qui fuerit tempore existentis cōditionis. l. Potior. ff. qui potio. in pig. habeā. l. Necessariò. ff. de pericu. & commo. rei. vend. & ita nominatim scribit Bertachi. in illo tracta. 6. par. n. 1. & 4. & sequuntur omnes. vt refert Tiraq. de retract. li. 1. §. 1. glo. 2. num. 23. & glo. 10. n. 46. Ex his autē illud consequitur, cūm permutatio sit contractus, qui rei interuentu perficitur. vt enim Iurisconsultus inquit permutatio ex re tradita initium obligationi præbet. l. 1. ff. de rerum permuta. non prius quidem ex permutatione vectigalis petendi ius esse, quā si res tradita fuerit. Quamuis enim iure communi ex stipulatione de permutādo ne re quidem tradita actio oriatur. l. Explacito. C. de rerum permut. atq; idem sit hodie apud nos ex pacto nudo, propter legē Regiam, quę ex pacto nudo actionem pollicetur. l. 2. tit. 16. lib. 5. Recopila. Veruntamen nihilo magis dicetur permutatio, donec rerum sit vltro citroq; facta traditio: atque proinde ante traditionem vectigal peti non poterit, quia nostrates leges ex permutatione vectigal deberi decernunt, non ex promissione, vel actione de permutando. Huc pertinent quę affert Boërius Decif. 48. n. 9. Illud tamen meminimus, re postea tradita, vectigal pertinere ad eum publicanum, qui erat tempore conuentionis, non ad eum, qui erat tempore traditionis. sicuti expressim scribit Anto. Gomez in tit. de contractibus innomina. in princip. Quod autem de cōtractu imperfecto di-

ximus, æquè recipiendum est in contractu nullo, ut scilicet vectigal nō debeat. Bal. in. l. fi. C. de eunuch. Idem in. l. Nō dubiū. 2. notab. C. de leg. Iaso in. l. fi. §. Sed quia. n. 8. C. cōmunia delegat. Refert plures Tiraq. de retract. linag. §. i. gl. 2. n. 7. & retract. conuē. §. 6. gl. 2. n. 5. Quare cū laicus quidā, sepulcrū, quod in æde sacra habebat, pretio vendidisset: ex facto cōsultus respondi, vectigal nō deberi: quia nullus esset cōtractus, scilicet iure Pōtificio, Ciuili, Regioq; refragantibus. c. Abolēda. de sepulturis. l. Locū. C. de relig. & sumpt. fun. l. i. tit. 13. Part. 1. Neq; his cōtrariū est, quod rursus respondi, cū quidam venderet, vt locationem rescinderet, cū emptore cōmunicato consilio vt ad se res reuerteretur, vectigal deberi. nā hoc casu venditio in fraudem facta tenet: neq; est is audiendus allegans turpitudinē suam. l. i. ff. de ijs, quæ in fraud. cred. l. Mercalem. C. de cōdict. ob turp. caus. Quid verò si contractus nullus ratificetur, an debeat vectigal illi publicano, qui erat tempore venditionis, an illi potiùs, qui fuerit tēpore ratihabitionis? Consule Tiraq. de retract. linag. §. i. glo. 10. n. 67.

#### §. QVARTVS.



**M**AEC sanè Pragmaticis obuia quotidie sunt: sed neq; illud minùs asiduè cōtrouerti solet, vtrum contractu iam perfecto, partiūq; deinde consensu dissoluto, vectigal debeat, necne; aut si debeat, an sit intelligendū semel tantū deberi, vel etiā bis. Et sanè omisiss varijs opinionibus, quibus quæstio hæc multifa-

tifariā, & ad cōfusionē vsq; vtilari solet, ac sequēdo eas opiniones, quæ vero magis accedere vidētur: ita tū breuiter, tū dilucidè distinguendū arbitror. Aut cōtractus dissoluitur incōtinēti, id est, antea quā cōtrahētes ad extraneos actus diuerterint, & vectigal eo casu omnino nō debetur. perinde enim est ac si nihil actū esset: aut verò cōtractus ex interuallo dissoluitur, & distinguendū quidē est, an resolutio fiat ex pacto ab initio ipsi cōtractui adiecto, an nō. Sanè si resolutio fiat ex pacto ab initio adiecto, interest an sit tale pactū, quod ipso iure resoluat contractū, veluti in pacto legis cōmissoria, vel adiectionis in diē, aut in veditioe conditionalis, & nullū sanè eo casu vectigal debeat, atq; cōsequēter iā fortè solutū cōditione indebiti repeti poterit. ita enim resolutio cōtractu pro eo est ac si nunquā factus esset. An verò (interest inquā) sit tale pactū ab initio appositū, quod cōtractum ipso iure nō dissoluat, veluti in pacto retrouendendi (quod vocāt) & tunc quidem vectigal semel debetur ex contractu scilicet, ex resolutione verò nō debetur. Porrò si resolutio fiat nō ex pacto ab initio appposito, sed ex noua cōuētionē, putā quia nunc denuo inter partes actum est, vt ab emptione discedatur, & tūc quidē ex ipso cōtractu vectigal debetur. Ius enim semel fisco quæsitum, noua cōuētionē partes tollere nō potuere. At ex resolutione quidē vectigal non semper debetur: sed tum demū, quum ex resolutione nouus contractus efficitur. Nā si ex resolutione non efficiatur nouus cōtractus, veluti quia res erat integra, vel resolutio fiat per actum retrocendētem, vectigal non debetur ex tali reso-


resolutione, sed tantum ex primo contractu. Hanc resolutionem colligebam ex Bald. Bart. & Alberico, in l. Ab emptione. ff. de pact. ex eodem Bald. in l. 1. C. quando liceat ab empt. disce. ex Bertach. de gabel. lib. 5. par. n. 6. & 8. par. memb. 3. quest. 14. ex Fabiano de Monte, de emptione & vendi. 8. par. n. 5. & 6. ex Boerio, Decis. 182. n. 39. Anto. Gomez in comenta. tom. 2. c. 2. n. 31. Pinello, in l. 2. C. de rescind. vend. 2. part. c. 3. n. 36. deniq; ex Tiraq. omnium effusissimè hanc re tractati, in retract. conuentionali. §. 6. gl. 2. n. 5. vsq; ad. 19. vbi ceteros id tractantes, & ad verbum quidè refert. Igitur inter ipsos Doctores comunitè conuenit, venditione ex pacto legis commissoria, vel adiectionis in diem rescissa, vectigal omnino non deberi: nemoq; est, qui ab hac sententia dissentiat, nisi vnus Anto. Gomez loco modò citato. Itè omnes ferè consentiunt, ex pacto retrouendèdi venditione rescissa, saltem semel vectigal deberi. Dubitationis est tamè si istud pactum verbis directis sit conceptum, an sit idè, quod in lege commissoria, vel adiectionis in diem, id est, vt vectigal non debeat. & Tiraquellus quidem loco suprà dicto. nu. 19. anceps est. Boerius verò consil. 3. ad calcem incunctanter scribit, vectigal omnino non deberi. At ego vereor, ne hoc quoq; casu vectigal semel debeat. Primum, quia non satis inter Doctores conuenit, an illa verba retrouendèdi pacto directo adiecta, eundem habeant effectum, què habent in lege commissoria, vel adiectione in diem, vt est videre apud ipsum Boerium Decis. 182. & Tiraq. de retract. conuentiono. §. 1. gl. 7. n. 35. & Dominus Couarr. lib. 3. varia. c. 8. num. 2. Deinde, quia vt idem Couarr.

co.

eo. lib. c. 9. num. 1. testatur, etiam eo casu venditione rescissa, fructus emptorem sequuntur. Igitur quando venditio non ita funditus est rescissa, vt non nihil effectus habeat: magis rationem habere videtur, vt semel saltè vectigal debeat. Ex his ergo (nerem maximè quoti dianā silentio prætereamus) apparet quid statuendum sit in venditione cæsus temporarij, què nos vulgò *al quitar* appellamus. etenim inter hoc contractus genus, & illud de retrouendendo ferè nihil interest. Igitur tantundè vtroq; casu constituendū est, hoc est, vt semel vectigal debeat ex contractu scilicet, ex redemptione verò non debeat. & ita nominatim scribit Monterosus in sua praxi, tract. 7. fo.

141.

## §. QVINTVS.



**V**ANDO contractus partium conuentione rescindatur, diximus: nunc videamus quid sit recipiendum, quādo legis beneficio rescinditur. Et in redhibitoria sanè illud constat, animali propter morbum vitium ue, redhibito, vectigal à Publicano repeti non posse. Sed si venditor soluit, sicuti lege Regia tenetur, suo dāno res cedit: si emptor ex pacto forte soluit, redhibitoria actione à venditore recuperabit. indemnus enim emptor ab emptione discedere debet. tex. singularis in l. Debet. ff. de qdili edict. Bald. qui ita eū intellexit, in l. Si prædium. C. de aedili. actio. & Bertach. de gabellis. 8. par. memb. 3. n. 33. Tira. de retract. conuentiono. §. 6. glo. 2. n. 15. Idem quoq;

iuris



iuris erit, si prædiū redhibitū fuerit, putà quia pesti-  
 lēs sit, vel lethiferas habeat herbas: in rebus enim soli  
 & redhibitoriā actionē cōpetere certū est. l. i. in prin.  
 & l. etiā in fundo. ff. de edil. edict. l. si prædiū. C. cod.  
 Quid ergo si emptio & veditio rescindatur propter  
 læsionē ultra dimidiā iusti pretij? Et illud in primis <sup>40</sup>  
 cōstat à Publicano eo casu vectigal repeti nō posse.  
 secundū ea, quæ de redhibitione modò diximus, &  
 tradit expressim Pinel. in. l. 2. C. de rescind. vendit. 2.  
 par. c. 3. n. 35. At illud subdifficile est, utrū hoc vectiga-  
 lis dānum imputandū sit emptori ne, an veditori? Et  
 sanè alijs aliud videtur. Iacobus enim, Curtius Bur-  
 genfis, quē citat Pinellus loco modò citato. n. 38. scri-  
 bit totū vectigalis dānū recidere in eū, qui soluerit.  
 At ipse Pinellus, tametsi principio hoc detrimenti  
 in actorē reiecerit, ad extremū verò reū magis onera-  
 re videtur. Mihi verò & veriùs & propriùs videtur ta-  
 lē iacturā ad actorē, qui cōtractus rescissionē postu-  
 lauit, spectare. Primū, quia is cōtractus bonæ fidei est.  
 Nihil verò tā alienū à bona fide est, quā vt quis fidē  
 fallendo cū alterius iactura à cōtractu discedat: imò  
 è cōtrariò is, qui placitis paret, immunis omnino dis-  
 cedere debet, nō aliter atq; si nūquā cōtractus initus  
 esset. l. Bona fides. ff. de actio. empt. l. 4. §. Marcellus.  
 ff. de doli excep. A Equè etiā in cōtractibus innomi-  
 natis, in quibus locus pœnitentiæ datur: nō aliter alte-  
 ri pœnitere fas est, quā si alter ū omnis dāni omni-  
 q; expēsi immunē præstet. l. Si pecuniā. ad finē. ff. de  
 cōdi. causa, data causa nō secuta. Similiter ergo is, qui  
 rescissionē postulat, quod dicat se ultra dimidiā ius-  
 ti pretij circumuētū, alterū, qui placitis stat huiusmo-  
 di

di vectigalis damni immunē præstare debet. Sed ne-  
 q; cōturbari debemus ex decisione illius. l. Debet.  
 ff. de edil. edict. Nā, vt Cepola, de simula. cōtractuū,  
 præsump. 6. scribit, illa lex idcirco ita cōtra veditorē  
 respōdet, quā veditor fuerat in culpa vitiosum animal  
 veditō, cui vitia & scire & dicere debuerat. Empto-  
 ri verò nihil imputari poterat, quia animalis vitiū re-  
 scire cōmodè nō poterat. Aliud ergo existimat Cæ-  
 pola, si ab emptione abeat culpa emptoris, vel vtri-  
 usq; volūtate. Atqui dixeris hīc reū in culpa esse ita  
 grauiter actorē circumueniēdo, quæ fuit ratio Pinelli.  
 Etenim si verū amam⁹, nihil est, quod eo nomine ei  
 culpæ impingi possit, cū secundū Iuriscōsultū in pre-  
 tioemptionis & veditiois naturaliter cōtrahētibus  
 se circumuenire liceat. l. In causæ. §. Idē Pōponius. ff.  
 de minorib⁹. Quinimò actor ipse extra culpā nō est,  
 quādo ipse sibi p̄spicere, & rei pretiū inuestigare &  
 scire debuerat. Nā, vt ait Imperator, liberū cuiq; est  
 apud se explorare, an sibi expediat consiliū. §. tua. In  
 fit. Mādati. Ergo quādo vtriusq; voluntate atq; cul-  
 pa cōtractus dissoluitur, cessat illius legis ratio, secun-  
 dū Cepolæ interpretationē. Sed neq; mouet quod ip-  
 sius rei volūtate ab emptioe discedatur, quā. f. in ip-  
 si⁹ arbitrio fuerat ab ea nō discedere: quæ Curtij fuit  
 ratio. Nā potiùs, ea rescissio necessaria dicitur nō vo-  
 lūtaria, secundū cōmunē opinionē ab ipso Pinello  
<sup>41</sup> probatā loco superiori. Quid igitur dicendū putas,  
 si cōtractus doli mali, metusue causa rescissus fuerit?  
 Et palām est vectigalis onus respicere eum, qui me-  
 tum dolumue fecit. Hæ enim actiones totum factū

in pristinum statum restituunt. l. Illud verum est. ff. quod metus caus. l. Arbitrio. ff. de dolo. Quid puras igitur, si minor aduersus venditionem, cuius nomine vectigal soluerat, restitutus fuerit: an erit hinc idem, quod superioribus casibus, an diuersum potius? quod magis est. Restitutio enim omnia in pristinum statum redigit. l. Quod si minor. §. Restitutio. ff. de minor. etiam aduersus tertiam personam. l. i. C. de reputationibus. Ergo et aduersus publicanum pro vectigali restituetur minor. Quando contractus rescinditur, vel partium conuentione, vel legis beneficio dictum est. Quid verò statuendum sit, cum contractus reformatur, vel noui aliquid additur, an iterum vectigal sit soluendum, nec ne, tractat Bart. in. l. Iuris gentium. §. Adeò de pact. Tiraq. de retract. linag. §. i. gl. 18. n. 55. Albertus Brunus de augmento, conclus. 3. n. 46. Notandum est prætereà antiquo iure nundinis indultum fuisse, vt ex ijs rebus, quæ illic veniret vectigal non exigeretur. l. i. & illic Bald. C. de nundinis. cui consonat. l. 3. tit. 7. par. 5. sed apud nos istud antiquatū est. Hodie enim eo iure vtimur, vt etiã in nundinis vectigal debeatur: nisi forsã id principali priuilegio datū sit, quod in sacris scrinijs, id est, libris Regalibus relatum sit. vt apparet ex tit. 20. lib. 9. Recopila. Sed hæc hæctenus.

### §. SEXTVS.

*De rebus in dotem datis, etiam si fuerint æstimata, vectigal nõ debetur. n. 42.*

*De diuisione rerum hæreditariarum non debetur vectigal. nu. 43. & . 44.*

*Vecti*

*Vectigalis onus venditorem sequitur. n. 44.*

*Cum venditio sit ea lege vt vectigalis onus emptorem sequatur, vectigal loco pretij habetur. n. 45.*

*Vtrum deducenda sint impensa in ineunda ratione vectigalis soluendi. n. 46.*

*Ex promisso vectigal non augetur. n. 47.*

*Venditione ad diem contracta, an vectigalis dies statim cedat. n. 48.*

*Annuo censu vendito, vectigal illic debetur, vbi extant bona pro censu obligata. n. 49. cum seq.*



42

**N**UNC tractemus de cõtractibus, quos leges Regiæ nominatim excipiunt. In primis autem excipiunt dotis cõtractum. l. 35. tit. 18. lib. 9. Recopila. Sed est quæstionis, an hæc lex locum etiã habeat, quãdo res in dotem data fuerint æstimata: mouet quæstionem quòd tunc æstimatio faciat emptionem. l. Quoties. C. de iure dotium. Quo circa si credimus Afflicto in tracta. protomiseos. §. 3. n. 7. & Tira. de retract. linag. §. i. gl. 13. n. 109. erit eo casu locus retractui, ratione propinquitatis. Sed magis est, vt hoc casu vectigal non debeatur. Cur ita quæso? Quia leges semper sunt intelligendæ loqui in casu magis ambiguo & difficili. l. i. ff. ad muncip. l. Quod Labeo. ff. de Carb. edict. Sed cedo, quis dubitaret ex rebus non æstimatis in dotem datis, vectigal non deberi, cum leges Regiæ duntaxat contractibus venditionis & permutationis hoc onus iniiciant. Dotis igitur fauore vult lex Regia vt etiam rebus æstimatis in dotem datis, vectigal nõ debeatur. Quod sanè


H fine

sine vlla dubitatione procedit, quando ab initio in ipso dotis contractu de bonis æstimandis conuenit: quòd si quis hoc nõ probauerit, haud sanè scio quid sit, quod probandum putet. Sed finge nihil à principio de bonorum estimatione actum, sed in pecunia numerata dote promissa postea pro pecunia (vt fieri affolet) res æstimatas datas fuisse: est dubitationis, an tunc vetal peti possit. Et, vt breuiter dicã, ne hoc quidem casu vectigal deberi existimo: illius enim legis Regiæ verba latè patent, ait enim. *Ordenamos y mandamos que no se pague alcavala delas cosas, que se dieren en casa mientroquier sean muebles, quier rayzes.* Constat autè, res æstimatas in dotem datas, dotales esse. l. In rebus. C. de iure dotium. Vtrum verò à principio, posteaue data fuerint, nihil quidem interesse debet. §. Est & aliud. Instit. de donatio. Accedit his, quòd res ex pecunia dotali empta, dotalis efficitur. l. Si vxor marito. ff. de iure dotium. l. 49. tit. 5. par. 5. Suffragatur quoque his quod supra diximus, ex datione in solutum vectigal non deberi. quod magis hinc procedit, cum ex causa necessaria hac solutio fiat. qua de causa placuit Iasoni in. l. fi. C. de iure emphit. q. 9. neq; isto casu laudimiu (vt suo more loquar) deberi. Opitulatur etiam nobis. l. Non solum. ff. de iure dotium. & quæ affert. Tiraq. de retract. linag. §. 1. gl. 14. n. 91. & 124. & Bal. Nouellus de dote. 7. par. priuileg. 23. & quæ simili questione scribit nostras Pala. Ruu. in repet. c. Per vestras. §. 21. n. 5. Deniq; suppetias nobis fert non modo criter quod generaliter traditur, sicuti in ambiguis questionibus aduersus fiscum, ita cõtrã pro dote respõdendũ esse. l. Nõ puto. ff. de iure fisci. l. In ambiguis.

43 biguis. ff. de reg. iur. Excipit præterea illa lex 35. à vectigalis onere bona, quæ inter hæredes diuiduntur, etiam si vltro citroq; ad diuisionis faciliore exitu pecunia data fuerit. Huius ratione si quæras, reddit Bertac. 3. mē. 8. par. n. 16. & Motal. in. l. 2. ti. 4. li. 3. Fortè in hoc tamè dubitationis est, an ista lex pertineat ad eũ casũ, quãdo ad diuisionem faciendã, admilla extranealicitatione, ei res addicta fuerit. iuxta. l. Ad officiu. C. cõmuni diuid. & l. Cũ fundo. §. Si fundo. ff. de iure dot. Et putè neq; hoc casu vectigal deberi: tũ ex huius legis decisione, quæ latè patet l. tũ quæ hac veditio necessaria est. l. Si pignori. ff. famil. ercisat. in venditione necessaria vectigali locũ nõ datur. l. Cõtar. §. Si propter necessitatẽ. ff. de publi. & vecti. id quod in laudimio receptũ lego apud Iaf. in. l. fi. C. de iure emphit. n. 47. Neq; nos quispiã hinc incõstantie arguat, quasi supra in bonis ex causa iudicati extraneõ addictis vectigal deberi dixerim, hinc cõtrariũ dicamus. Place nõ in vtroq; casu eadẽ ratio versum illiõ quõsã necessitas voluntariũ principiu habuit, ista aut. An voluntate debitor res alienũ cõtraxit? At qui hinc necessitas voluntariũ principiu nõ habuit, sed casu hæredes in hunc cõtractũ inciderũt. Verũego necessitatẽ eã duntaxat, quæ causam & principiu nõ voluntariũ habuerit, à vectigalis onere excusare crediderim, vt significat. d. §. Si propter necessitatẽ. & cõprobari latius poterit ex ijs, quæ scribit Tiraq. de retract. linag. §. 1. gl. 14. nu. 36. Hinc etiã quari potest, si hæres alteri hæreditatis suæ portionem vōdiderit, an hac lex etiam eo casu locum habeat, id est, an neque hinc vectigal debeatur? Et putem neq; hinc vectigal deberi: quia hinc emptor utilis hæres est. l. Etiam. §. 1. ff. de petit. hæ-

redita. Atque deinde videtur hoc casu locum esse rationi, quam obrem lex hæc introducta fuit, tam illi quidem, quam reddit Bertach. ac Montal. quia scilicet in hac diuisione non proprie contrahi dicitur, quam ei, quam nos reddimus, quia necessitate quadam ad hoc genus contractus ventum sit. Quod autem diximus vectigal non deberi: non eo pertinet, ut velimus ex venditione hereditatis vectigal non deberi, palam enim deberi: sed ut si etiã in diuisione cum emptore hereditatis & heredibus facta pecunia intercesserit, vectigal non debeatur, quæ est materia illius legis. 35. de cuius intellectu agimus. Solet etiã queri: Fratres bona diuiserunt: deinde aliquibus diebus in 44 rorie etis eadem bona de nouo permutarunt, an vectigal debeatur & placet deberi: Simul quia cum diuisione iam fuerit facta, is alter nouus est contractus permutationis scilicet, neque diuisione recte dicitur potest. Heredes. ff. de iur. heredit. l. Magis puto. §. si. ff. de rebus eorum. Simul quia hæc Regia lex de prima diuisione est intelligenda, ut est argum. l. Boues. §. Hoc sermone. ff. de verb. sig. & l. no. tit. 18. lib. 9. Recopil. & quæ abunde affert lafo. in l. Duobus. §. Sici. ff. de iure iur. & Boerius decis. 131. n. 2. & sic non semel ex facto consultus me respondisse memoria reposito.

§. S E P T I M V S.



**H** A C T E N V S, ex quibus contractibus vectigal debeatur, vel non, perscripimus: deinceps quantum vectigalis nomine, & à quo, & quemadmodum

soluendum sit, videndum est. Pro huius ergo vectigalis munere soluenda est decima pars pretij earum rerum, quæ veniunt, vel permutantur. l. 1. & 2. tit. 17. lib. 9. Recopila. Quibus cauetur, ex singulis denis nummis vnum vectigalis nomine solutum iri. itaque non est relictus dubitationi locus, quemadmodum decimæ sit facienda interpretatio. quod aliàs disputat Abb. in. cap. Cum homines. de decimis. Quid ergo si res tam vilis sit, ut minoris, quam decem marabatinis valeat, an vectigal debeatur? Et non debetur quidem, si credimus Bartolo in. l. Ita autem. ff. de admitt. tuto. Spectat autem hoc vectigalis munus ad venditorem, uti apparet ex illa. l. 1. nisi paucis casibus exceptis, qui exprimuntur in. l. 32. tit. 19. lib. 9. Recopila. In quo quidem à iure communi discitur: nam eo iure ad emptorem potius vectigalis onus pertinebat. ut notant omnes ex. l. Debet. ff. de adili. edict. An verò id illa lex probet, disceptat Pinellus in. l. 2. C. de rescind. vendi. 2. par. cap. 3. nume. 40. In hoc autem obliuiscendum non erit, si in lege venditionis comprehensum fuerit, ut vectigalis onus emptorem sequatur, id est si conuenit, ut venditio sit (ut vulgo dicimus) *horro de alcabala*: tum quidem in habenda ratione vectigalis soluendi, totum, quod emptor solueret debet, pro pretio habendum esse: & idcirco ex eo toto vectigal solutum iri. Exempli gratia, Titius vendidit Seio fundum mille aureis calage, ut vectigalis vnus ad Seium emptorem

Hoc verbo marabatinorum vitur Ro. ca. Pontif. in. c. Cum olim. 2. de priuileg.

rem pertineret. In ea causa quidem res est, ut pretium fundi sit mille cētum aurei. Quidquid enim emptor soluit, pro pretio habendum est. ut significat illa. l. Debet. ff. de edili. edict. & l. 9. titu. 11. lib. 5. Recopila. At proinde vectigalis nomine centum decem aurei debentur. Quæstionis est etiam, vtrum in facienda computatione vectigalis soluendi, prius deducendæ sint impensæ in rerum venditione factæ, fortè in subhastationibus & proxenetis. Et sanè alij aiunt, ut est videre apud 46 Iaso. in l. Fructus. ff. soluto matrimo. Alij contra negant, ut est videre apud Campezius de dote. 2. par. quæst. 12. Alij distinctione vtuntur, ut est videre apud Tiraquel. de retract. linag. §. 15. gl. 1. nu. 5. Inter omnes tamen magis conuenit has impensas in vectigalibus soluendis deducendas esse: sed vix est ut id apud nos obtineat: contrarium enim leges Regiæ significare videntur. Tum. l. 1. titu. 17. lib. 9. Recopil. Ait enim, *Que paguen por razon dela alcabala, decada diez marauedis vno de todo el precio, por que vendieron.* Verbum enim, totum, omnem, deductionem excludere videtur, in fisco maxime, iuxta ea, quæ scribit Tiraq. de retract. linag. §. 15. glo. 1. num. 8. & 9. Tum reliquæ omnes leges, dum specialibus quibusdam casibus has impensas deducendas decernunt. Contrarium ergo in reliquis esse aperte significat. l. 18. titu. 17. lib. 9. Recopila. Illud 47 tamen verum esse crediderim, si fortè venditor, ad licitationis calorem inflandum emptori, pluris licitati, aliquid promiserit: eo casu ex tali promisso

(vul-

(vulgò nos, prometido: Itali, auentagiam appellant) vectigal non deberi, ut putà: Venalis res ea lege licebat, ut qui pluris licitatus fuerit tanquam corolarij nomine decem habeat, atque ita animosiori emptori res addicta fuerit. Sanè in vectigalis ratione ineunda non existimo vectigal deducendum ex omni illo, quod promissi nomine à venditore datum fuerit. Id quod videtur sentire Bart. in l. Quantitas. ff. ad leg. Falcid. cuius apud omnes est quidem recepta sententia: quam & ipse secundum nostrates leges Regias locum habere existimo. Neque quicquam mouet contrarium in impensarum deductione modò dixisse: nam hoc promissi genus, de quo loquimur, ipso iure pretiū diminuit: ita ut re vera pretium rei vendita promissum illud non sit. l. Quod dicitur. ff. de impensis in rebus dota. fact. At impensæ in rerum venditione factæ nequaquam ipso iure pretium diminuunt. l. Si non fortem. §. si centum. ff. de condit. indeb. l. Si cognouerit. ff. de pigno. action. neque quoque oberit. l. 6. titu. 13. lib. 8. Recopil. nam illic alia ratione promissa hæc in pretio computantur. De hoc autem promissi genere alias quæstiones vide apud Auendanum in capit. correcto. 2. par. c. 28. & Franciscum Lucanum de fisco. 4. par. An verò licitatio illa, quæ legibus regijs in vectigaliū locatione admittitur cum adiectione quarta partialisque certis adiectionibus, ut est comprehensum in titu. 13. lib. 9. Recopil. locum habeat, sitque etiam admittenda in redditibus rei publicæ mino-

rum vel magnatum locandis: tradit eruditè pereruditus Auendanus in cap. correct. 2. part. c. 12. num. 11. cui tamen poteris addere. l. 5. & illuc Grego. titul. 19. part. 6. Sed pone datum esse diem ad pretium rei venditæ soluendum; dubitationis est, an statim vectigal peti possit: vel an potius expectandus sit dies quo pecunia solui debet. Et Bart. quidem in l. in lege Falcidia non habetur: ff. ad leg. Falcid. in ea est sententia, vt existimet licet statim vectigal solui debeat: tamè deducendū esse interuentum medij tēporis, quia minor sit illa quantitas, quæ ad diē est soluenda. Contrā verò Alex. ibidem scribit, anteaquā dies venerit vectigali diem non cedere: quem sequitur Suarez titul. delas arras. §. ex quibus. Et hoc quidem magnam rationem habere videtur: durum enim & penè iniquum videtur, vt venditor ante pretium receptum vectigal soluere cogatur: sic etiam & colonus ante fructus perceptos mercedem soluere nō cogitur, si aliud non conuenit. Iaso. in. l. 2. num. 180. C. de iure emph. Lex igitur in titulo. 19. lib. 9. Recopila. quæ quinque dies vectigali soluendo præscribit; est quidem intelligenda, nisi modò habita fide præterij venditio facta sit: ita enim ius ratioque suadet. Leges verò ex æquo & bono interpretationem recipere non est nouum. Si seruum stichum. §. sequitur. ff. de verbo. obliga. Conuenienter ergo haudquaquam ferendus erit publicanus, qui lite super venditione mota ante pretium receptum sibi vectigal solui desiderat, vt

est

est argumento cap. Commissam. de elect. in. 6. & comprobari potest ex multis, quæ affert Tiraquel. de retract. linag. §. 1. glo. 10. num. 36. cum seq. Quid ergo si venditionis effectus in aliud tempus collatum sit? consule Bart. in. l. Sancimus. C. de consulibus lib. 12. & Tiraquel. loco modò citato. num. 115. Illud quoque palàm est, cum annuus census venditur, non esse expectandos singulos annos ad vectigal petendum, sed statim vectigal totum solui debere. Sicuti expressim ostendit Antonius Gomez de qualita. contract. num. 44. verific. secundus effectus. De publicanis & vectigalium redemptoribus siue conductoribus erat hic tractandum: sed id prudens omisi, tum quia ea materia satis legibus regijs est exposita in titu. 10. & 11. cum seq. lib. 9. Recopil. tum quia eam etiam explicat luculenter Bertachinus in illo tractat. 3. par. tum quia iam ratio postulat, vt ad propositam initio quæstionem accingamur. Longius enim, quàm cogitabamus, nos materiae perduxit utilitas. Sed si longior sermo videbitur, cum magnitudine utilitatis comparetur, & ita forsan breuior apparebit.

## §. OCTAVVS.

49



M igitur constat ex annui reditus venditione vectigal deberi, non iniuria quaritur, quoniam in loco vectigal exigendum sit, id est, quoniam publicanus in vectigali exigen

H 5 do

do potior sit, is ne, qui est loco contractus, an is, ubi census debet fieri solutio, vel an potius is, qui est eo loci, ubi sunt bona, super quibus pensio constituta fuit. quilibet enim eorū causam suam probabilibus argumentis defendere poterit. Et enim Publicanus, qui est loco contractus, ad se vectigal pertinere contendit: quoniam quod ad ius commune attinet, loco contractus vectigal solui debet: & si alibi sit res, quæ venijt. Bald. in. l. 1. C. de contrah. emptio. & iterum in. l. Magis puto. §. illud. ff. de rebus eorum. Iaso. in. l. 1. C. de summ. trini. Panormi. in cap. fin. num. 30. de foro comp. Atqui nostratibus legibus Regijs quæstio hæc non videtur definita: definiunt enim duntaxat ubi sit soluendum vectigal rerum mobilium vel immobilium. l. 5. & 9. titul. 17. lib. 9. Recopila. Verū annui redditus proprie mobilium vel immobilium appellatione non continentur, sed tertiam quandam speciem constituent: ut est videre apud Tiraquel. de retract. l. nag. §. 1. glo. 6. & Pinellum in Rubri. de bonis mater. 1. part. num. 24. Ergo ius commune sequendum videtur, cum notissima sit regula, casum omnium definiendum esse ex dispositione iuris communis. l. Commodissime. ff. de lib. prater. & ex hæred. & consequenter videtur vectigal loco contractus solutum iri. Neque ad rem pertinere videtur, quod annuus redditus videatur esse eo loci, ubi extant bona, super quibus pensio constituta est: nam cum ita annuus redditus assignatur, do-

mi-

minium rerum in emptorem non transfertur, sed hypotheca solum constituitur. l. Lucius. ff. de alimen. leg. Bart. in. l. Codicillis. §. instituto. ff. de leg. 2. & in. l. Fundus. ff. de ann. leg. etsi magis magisque adiectæ fuerint illæ clausulæ à tabellionibus de more usurpatæ: ut in emptorem census dominium hypothecarum transferatur, sicuti placet Couarru. lib. 3. varia. cap. 11. num. 5. & Auedan. responso. 5. at hypothecariam actionem, sicuti & reliquas actiones, loco non circumscribi certum est. l. fin. C. de longo. tempo. præscrip. sic etenim, ut Iurisconsultus inquit, æ alienum certi loci non est, sed vniuersarum facultatum. l. 1. §. si hæres. ff. ad Trebelia. l. Ex facto. 2. §. vnde scio. ff. de hæred. insti. Hæc & si qua eodem pertinet, assert publicanus, qui extat loco, quo emptio facta est. At verò alter publicanus, qui est eo loci, ubi redditus debet fieri solutio, non grauatur hæ omnibus assentitur. illud tantum excipit, ex quo sibi palmam sperat: quod contractisse quisque eo loci dicatur, ubi ut solueret se obligavit. l. Contractisse. ff. de actio. & obliga. l. Quæro. ff. de solu. Baldo deinde teste vtitur in. l. Multum interest. ff. si quis alteri vel sibi. dicente, si municipali lege ( id est ) statuto cautum fuerit, ex quouis contractu vectigal solutum iri; spectandum esse locum destinatæ solutionis, non locus contractus: cui assentiuntur nō pauci relati à Bertachi. de Gabellis. 6. part. num. 8. Parumque sibi obstare ait iste publicanus, quod aduersus Baldum commu-

nis

nis sit sententia teste Felino in dicto capit. fin. de foro comp. num. 18. nam communis sententia loquitur in statutis, in quibus cum fictio locum non habeat, necesse est vt. spectetur locus contractus, quia id, quod dicitur contraxisse vnunquenque videri, vbi soluere destinauit, ex commentitio quidem iure procedit, sicuti notant doctores in dicta. l. contraxisse: atqui certum est nostrates leges non statutorum, sed iuris communis naturam tortiri: proinde fictionem etiam admittunt: & conueniēter, cum ratio communis opinionis cesset, videtur probandum apud nos veram esse Baldi opinionem, id est, vt loco destinatae solutionis, non loco contractus vectigal solui debeat: & secundum hanc opinionem scio ex facto consultum respondisse pridem quendam Supremi Regij Senatus aduocatum, eundemque maximi nominis virum Atego, etli superiora argumenta contemnēda non arbitror, nihilominus tamen pro illo publicano, ad quem pertinent vectigalia illius loci, vbi sunt bona, super quibus annuus reditus constitutus est, calculum ferrē: istius enim potiorē causam habēdā ex sequētibus arbitror. Primum, quia leges Regiæ (quantum ad bona soli seu immobilia attinet) vectigal solutum iri decernunt in loco, vbi sunt bona, quæ veneunt. leg. 9. titul. 17. lib. 9. Recopila. Atqui quando est necesse annuos reditus ad alteram speciem redigi, omnino inter immobilia computantur. Clementina, Exiui. §. cumque annui reditus. de verbo. signifi. & vt

& vt semel finiam, tractat effusissimè suo more. Tiraquel. de retract. linag. §. 1. glos. 6. quantumuis is census sit redimibilis, secundum eundem Tiraquel. dicto tracta. §. 1. glos. 14. nume. 120. & Auenda. in Capi. Corrécto. 1. par. ca. 4. num. 36. apud nos igitur in hac quaestione necesse est, istos annuos reditus ad alteram speciem redigamus: vti secundum leges Regias scire possimus, vbi vectigal soluendum sit. Igitur quando annui reditus inter immobilia computantur, ac immobilium vectigal ex lege regia soluendum illic est, vbi extant bona vendita: relinquatur apertè annui reditus vectigal illic soluendum, vbi ipsi annui reditus extant. Tota igitur huius quaestionis summa & veluti cardo vertitur in cognoscendo, vbi isti annui reditus extare censeantur. Et alijs forsitan aliud placebit. mihi sanè illic extare annui reditus videntur, vbi sunt bona, super quibus cōstituti sunt. id vobis, si mihi æqui iudices sitis, quàm facillimè demōstrabo. In primis enim id ostendit. l. Si fidei cōmissum. §. tractatum. ff. de iudicijs. vbi cum Iureconsultus dixisset æs alienum non esse loci, sed vniuersarū facultatum: statim subiecit id locū non habere, quando aliqua bona certis oneribus destinata sunt; veluti alimentis præstandis, vel tributis, vel alijs quibusdam in excusabilibus. muheribus. Quibus sanè verbis satis Iurisconsultus significat, annuos reditus illic extare, vbi sunt bona, super quibus cōstituti sunt & illic etiam Baldi sententiā nobis suffragatur ait enim, Est etiam iste tex. in argumentum, quod ille officialis faciat executionem datiarum & collectarū, in cuius territorio est res affecta pro datis, & colle



lectis. Præterea cum annuo reditus sic super fundo imponitur, non tantum hypothecaria actio constituitur, sed etiam quoddam ius reale ipsi prædio usus fructus instar imponitur. quocirca tale ius aduersus unumquemque prædij possessorem transit, etiã si singularis sit successor. Specul. in titul. de emphiteo. §. nunc aliqua. vers. 86. & Faber. in. §. item Seruiana. ad finē. Inst. de actio. Couarru. lib. 3. variar. c. 7. nu. 6. & ita profligatur illud, quod dicebamus hypothecã loco non circumscribi, nã hoc casu non tantum hypotheca cõtrahitur: sed etiam ius quoddã reale prædio imponitur. Iam illud quis non videt, nulla alia ratione annuos reditus inter immobilia computari, nisi quia sortiantur naturam earum rerum, super quibus constituti sunt. id quod etiã animaduertit Pala. Ru. in. l. 70. tauri. num. 12. quocirca si super re mobili imponerentur, mobiles nõ immobiles dicerentur. Bart. in. l. Sciendum. ff. qui satisdare cog. Suarez in titulo de los emplazamientos. §. 1. nu. 28. accedit ad hæc Panormi. sententia in Cap. Querelã. de elect. qui idcirco remedia possessoria pro annua pensione dari existimat, quia pro ea ius quoddam reale competat ipsi prædio inherens. idem probat Gregor. Lopez in. l. 28. titu. 8. par. 5. verbo. celo. limit. 1. in fine. vbi ait annum reditũ esse ius prædio inherens. apertius quoque significat Nauarrus in comment. de usuris. §. 21. nu. 83. ait enim & rectè, annum reditum inesse prædio tanquam accidens in subiecto. & apertissimè id probat eruditissimus Præsul Jacobus Simanc. cathol. instit. titu. 9. num. 130. vbi ait, actiones in rem veluti ius pignoris, ius annuã pensionis illic esse, vbi sunt res, ad quas persequẽdas competunt. Suffragatur quo

quoque nobis. l. 1. titu. 15. li. 5. Recopila. aliãque leges Regiã, quã de hac censuũ constitutione loquentes aiunt, eos super fundo constitui & collocari: illic ergo extare, & radices tanquam habere dicendum est.


53 Huc etiam pertinet illa doctorum sententia existimãtium, hoĩce annuos reditus super personis tantũ constitui nõ posse: sed necessarium esse, vt super bonis constituantur ita, vt bonis peremptis ipse quoque census extinguatur: vt latè defendit Nauarrus in comment. de usur. §. 21. & magis communem sententiã testatur Grego. Lop. loco modò citato. Neque illud interim omittam: ob hanc annuam pensionem, cui fundus obnoxius est, post hac nõ tanti fundus vèdi, quãti si liber & sine pensione esset. quare ne Publicano, vbi extat fundus, dãmnum inferatur ex huiusmodi cẽsus cõstitutione: vectigal vt ei soluatur, ius æquitasque sua det. Atque ne, quod potētissimũ est, silentio prætereã, iã illud nemo negabit vectigalis munus nõ personale esse, sed patrimoniale: atque patrimoniale munus illic soluendũ, vbi extant bona, manifesti iuris est. l. Forma. ff. de cẽsibus. Quãobrem placuit habẽtes annuos reditus, illic, vbi eos percipiũt, munera pro eis subire debere, etsi alibi domiciliũ habeant. l. Filij. §. si. ff. ad munic. ip. l. Munerũ. §. huiusmodi. ff. de mũ. & hono. Auẽd. in Cap. Correct. 2. par. c. 14. n. 15. Denique huic nostrã opinioni accedit sũma sapiētissimi Tirra. autoritas, in tract. linag. §. 6. gl. 1. vbi similè ac ferè hanc eandẽ quæstionẽ agitans multis concludit, ex huiusmodi reditus vèditione laudimiã (quã vocãt) soluendã esse domino feudi, in quo loco sita sunt bona huic reditui obnoxia, nõ in loco cõtractus, vel alibi.

bi. Et nominatim ex nostratibus hanc nostram sententiam tenet Monterosus, siue quis is fuit, in Praxi, tract. 7. fol. 141. Ex his igitur simul hæc nostra sententia videtur confirmata, ac simul argumentis contrarijs plenè satisfactum. nam quod argumentabamur hanc quæstionem legibus Regijs non definiti, idcircoq; ius commune spectandum; verum non est. cum, ut monstrauius, satis hæc quæstio legibus Regijs definita sit, quandoquidem definiunt immobilium rerum vectigal solutum iri, vbi extant bona, quæ veniunt. Cum ergo cõstet annuos redditus inter immobilia computari, atq; illic residere vbi extant bona, super quibus constituuntur: apertè ex eisdem legibus relinquitur, annui redditus vectigal illic soluendum, vbi extant bona, super quibus assignati & collocati sunt. Nequaquam verò hoc casu existimo habendam rationem bonorum generaliter obligatorum, sed tantum eorū, quæ specialiter hypothecæ data sunt: quādo enim bona specialiter generaliterque obligata sunt, prius eorū, quæ specialiter obligata sunt, ratio habenda erit. l. 2. C. de pig. Specialis enim hypotheca magis afficit rem, quàm generalis, proin quod dicitur clausulam de non alienando adiectam hypothecæ impedire translationem dominij, intelligendum aiunt, quando hypotheca fuerit specialis, ut testatur cõmunem opinionem Ias. in l. Si quis ita. §. ea lege. n. 32. ff. de verb. obli. tametsi aliud sentiat Suarez noster in. l. Post ré, ad legē Toleti. limit. 1. Quòd si fortè diuersis territorijs extant bona, super quibus specialiter census cõstitutus est, pro rata debet vectigalis solutio fieri: ut & ratio ipsa demonstrat, & est

est argumento tex. in c. Cõstitutis. de religio. dom. & consequenter si locus, vbi extant bona, immunitatis fuerit, vectigal non debetur. Quòd autem de annuo redditu nunc denuo constituto diximus, idem quoq; de antiquo dictum esse intelligendum est, nempe ut vectigal solvatur, vbi sunt prædia pro ipso obnoxia. vtriusq; enim par ratio est. His igitur nostræ quæstioni satis abundeque, satisfecisse videmur.

Quid inter dominium, & proprietatem  
interfit. Cap. 4.

**D**ominium dicitur cum usufructu, proprietatem verò usufructu abscedente. n. 1.  
Plena proprietatem dicitur, cui usufructus accreuit. n. 2.  
Usufructus est ius ab ipsa proprietate seiunctum, proin distinctio illa interpretum usufructus formalis & causalis à Iurisconsultorum placitis aliena est. n. 3.



**V**id inter dominium, & proprietatem interfit, alijs aliud placet: ut est videre apud Fabrum in. §. omnium. nu. 21. Insti. de actio. Iaso. in. l. Traditionis. C. de pact. Pinell. de bonis mater. l. 1. par. 2. num. 6. Grego. Lop. in. l. 27. titul. 2. par. 3. Quorum sententias ut missas faciam, nulla enim earum mihi vera videtur: illa quidem (ut mea fert opinio) istorum nominum verissima est differentia, quòd dominium est ius ferè semper cū usufructu iunctum. l. 4. ff. de usufruct. &

declarat nō obscure Barto. definitio in. l. Si quis vi. §. differentia. ff. de acqui. posses. dicentis dominiū esse ius de re corporali perfectē disponendi . At proprietas contrā est ius ab usufructu seiunctum ac separatum. hęc differētia colligitur apertissimē ex. l. Si usufructus. ff. de iure dotium. & l. 4. & l. Cū in fundo. ff. eod. tit. l. Sciendū. §. 1. ff. qui satisda. cog. l. Videamus. ff. de vsur. l. Liber. ff. de alimen. leg. itē ex. l. 3. & l. 6. & l. Si fur & l. Si cuius & l. Sed etsi. ff. de usufruct. & vt paucis dicam, hanc differentiam veram esse obseruare licebit per omnem illum tractatum de usufructu, qui in libro septimo digestorum latē diffusus est, & demum vbicunque usufructus & proprietatis apud Iurisconsultos mentio habita fuerit, & hanc quoq; differentiam sequi videntur leges Regiæ, vt apparet ex. l. 30. tit. 32. part. 3. & l. 12. tit. 14. par. 7. sunt etenim (vt rem quoq; exemplis demonstramus) proprietas & usufructus relatiuorū instar, sicuti nox & dies, mors & vita, & cętera similia, quę quanuis alterum alterius respectu dicatur, simul tamen esse non possunt. Hinc est quod usufructu cū proprietate consolidato, tum plena dicitur proprietas. l. 2. ff. quib. mod. vsus. amitt. l. Cū in fundo. ff. de iure doti. l. Fœminæ. C. de secund. nupt. l. Si Titio. ff. de usufruct. leg. Neq; mihi negotium facessit. l. Vusu. ff. soluto matr. & l. Si cū testamento. ff. de excep. rei iudica. §. si fundum. similesq; leges, in quibus adhuc proprietas appellatur, postquā usufructus consolidatus est: quas quidē allegat Pinellus loco citato. n. 10. Nā illud quidem fit habitarelatione ad tēpus præteritum, sic etenim & Iurisconsultus insulā

ap-

appellat, quæ insulam desijt esse, habita relatione ad tēpus præteritum. l. Insula. infine. ff. de acqui. rer. dom. Non aliter etiam castrense peculium vocatur, non quod nunc est, sed quod antea fuit. l. 1. §. neque castrense. & ibi. gl. ff. de colla. bon. eōdem pertinet. l. Ius. ff. de iust. & iur. & possem alijs multis legibus & exemplis comprobare. Cū igitur proprietas sit ius ab usufructu separatum, consequenter apparet usufructum esse ius à proprietate seiunctum, quod etiam ostendit. l. Vri frui. ff. Si usufruct. peta. & d. l. Si cum testamento. §. Si fundum. ff. de excep. rei iud. l. Quod nostrum. ff. de usufruct. Quapropter merito à recentioribus exploditur illa veterum sentētia distinguentium inter vsumfructum causalem & formalem: tamen eam adhuc defendat Pinellus Lusitanus loco modò citato num. 9. cum sequen.

### An petitio hæreditatis detur aduersus titulo possidentem. Cap. 5.

**P**etitio hæreditatis competit aduersus possidentem hæreditatem vel partē hæreditatis: si possident pro hærede vel possessore datur directa; si alio titulo, datur utilis. Aduersus eum verò, qui res singulares hæreditatis singulari titulo possidet, non datur. n. 1.  
Intellectus ad. l. 2. C. de petiti. hæred. apertissimē explanatur.

n. 2.

I 2 O M-



**M**NES ad vnum interpretes communiter tradunt, petitionem hereditatis non dari aduersus titulo possidentem: sicuti, vt ceteros omittam, latius explicat Iaso. in. l. i. C. de inofficio. testament. nu. 10. Ego verò haud satis possum intelligere, vnde ij hanc à veritate tam abhorrentem sententiã sibi per suaferint. Nam primùm certum est hereditatis petitionem dari contra eum, qui pro hærede vel possessore possideat. at titulum pro hærede inter ceteros titulos referri, ne ipsi quidem negare poterūt, si modo Iuriconsultorum placitis auscultare duxerint: apparet enim plusquam manifestè ex titulis pro hærede, tam. C. & ff. atq; ex. l. Cogi. C. de petit. hæred. ex. l. Neq; nullam. §. in omnibus. ff. eodem titulo. ex. l. Non solum. §. quod vulgò. ff. de vsuca. Deinde petitionem hereditatis saltè vtilem dari aduersus eum, qui hereditatem emit, aperte scribit Iuriconsf. in. l. Etiã. §. i. cum seq. ff. de petiti. hæred. at fortassis hãc opinionem sibi astruendam putat ex. l. Hereditatis C. de peticio. hæred. & l. Hereditatem. C. in quibus causis cess. long. temp. præf. Atqui ille leges illud solum docent, petitionem hereditatis nõ dari aduersus possidentem rem hereditariam titulo singulari seu iure, sicuti & nos iam tradidimus supra. c. i. §. ii. Sed & rationem, quam ad hãc cõmunem opinionẽ Scriptores concinant, acutè refellit Dominus Couarru. Pract. quæstio. c. 12. & nos dicto. §. ii. veram rationem ex ipsismet legibus acceptam tradidimus. Verius ergo mehercle Interpretes docerent, petitionem

nem hereditatis non dari aduersus possidentem rem hereditariã iure seu titulo singulari: sed aduersus eum, qui vniuersitatem, id est hereditatem, titulo, s. vniuersali possideat. Enimuero cum hereditas nihil aliud sit, quã successio in vniuersum ius, quod defunctus habuit tẽpore mortis. l. Nihil. ff. de verbo. sig. ab eo, qui rem singulari titulo possideat, nõ vniuersali rectè vendicari non poterit, cū non habeat quod ab eo petitur, quã rationem ipsemet Imperator reddit in dicta. l. Hereditatẽ. C. in quibus causis cessat long. temporis præscriptio. dū ait, successio ab eis vendicari nõ poterit: & probatur etiã in. l. i. & in. l. Vedicatio. ff. de rei vñd. In summa igitur sicuti petitio hereditatis directa datur contra eũ, qui vniuersitatẽ, id est, hereditatẽ pro hærede vel possessore possideat. l. Regulariter. ff. de petitiõ. hæred. ita etiã vtilis petitio hæred. datur aduersus eũ, qui vniuersitatem seu hereditatẽ quoquo titulo possideat. dicta. l. etiã. §. i. & §. sed si quis. ff. de petiti. hæred. vbi, si verũ amamus, Iuriscõ. nõ speciales tantũ casus prosequitur: sed imò per singularia exẽpla suã sententiam ostendens, generaliter vult definire, petitionem hereditatis vtilẽ dari aduersus eũ, qui hereditatẽ emerit, vel in dotẽ aliũue titulũ acceperit. quod in dicto. §. si quis sciẽs. aperte significat, dū ait tãquam vniuersitatis emptor vtili tenetur. quã generalis est ratio. neq; mirũ quoniã ij, qui itã hereditatem quoquo titulo possident, hæredũ loco habentur. l. i. C. de inofficio. testa. Inst. de singulis rebus per fideicõmissum relictis. in princip. l. In pari. ff. de reg. iu. Aduersus ceteros igitur nõ vniuersitatẽ,

hoc est hæreditatē, sed rē hæreditariā iure seu titulo singulari possidētes petitio hæreditatis nō datur, sed specialibus in rē actionibus agendū est: vt luce clarius ostēdit Imperator in illis legib9, hæreditatis. & hæreditatē. modō allegatis. Ex his verō quā facilimē aperitur quoq; intellectus ad. l. 2. C. de pet. hæ re. planē ideirco illic negat Imperator fructibus hæ reditatē augeri, quia ab illo Musæo hæreditas peti nō poterat, rationē reddit euestigio Imperator, quia ille Musæus neq; hæreditatē neq; partē hæreditatis possidebat, sed res hæreditarias singulari iure seu titu. atq; ita quia vniuersitatē nō possidebat singulariter iure, id est specialib9 in rē actionib9, cōuenitur: in quibus quidē fructus post litē cōtestatā tantū veniūt: verū si petitio hæred. locū haberet, etiā ante litē cōtestatā fructus restituēdi essent: quoniā fructib9 augetur hæreditas. l. Pecuniæ verbū. §. i. ff. de verbo. sig. ita breuiter illius textus sensum accipere debes, nostrumq; intellectū magnificere: nā si doctorū commentaria, & si proluxa, perlegeris, verum sensum agrē perceperis.

Vtrum is, qui aliquid faciendum promisit, sit cogendus omnino siue præcisē ad faciendum, vel an potius præstādo facti æstimationē, seu id, quod interest, liberetur: in diuiduorū quoq; ratio tum nouē, tum verē & breuiter exponitur. Cap. 6.

R. A.

**R.** *Asio & noua & elegans, quare factum sit indiuiduum.*

n. 2.

*Torcular, furnum, & molendinū, indiuidua quare dicantur. n. 4.*

*Seruitutes diuisionem quare non recipiant. n. 5.*

*Vsufuctus diuisionem cur recipiat. n. 6.*

*Vsus, & habitatio in diuidua sunt. n. 7.*

*Facta, etiā à principio, diuisionem non recipiunt. num. 8.*

*S. Cato breuiter elucidatur. n. 9.*

*Qui debet factum, neq; iure communi neq; Regio est compellendus præcisē ad factum. n. 10.*

*Cum factum instrumentū comprehensum est, an pro eo, quod interest, seu facti vera æstimatione, persecutio rei iudicæ cōpetat. n. 11.*

*Post moram in faciendo non venit id, quod interest, sed vera facti æstimatio. n. 12.*

**V** R E quidem communi communi ter receptum est, cū quis aliquid faciendū promississet, non omnino siue præcisim cogendum vt faciat, sed audiendum esse si malit facti æstimationē, seu id, quod interest, præstare. Apud nos verō an iure Regio id antiquatū sit, nō est leuis inter nōnullos ex nostratibus dissensio: quod discipiendū nobis hīc est: est enim res, quæ nō semel vsu venire solet. Sed vt huius quæstionis utilitas vniuersisq; percipi valeat, paulō altius res repetenda erit. In primis igitur admonendi sumus, factum factique stipulationem diuisionem nō recipere. l. Stipulationes non diuiduntur. l. In executione. ff. de verb. oblig. l. i. §. si vsufuctus. ff. ad. l. Falcid. Huius autem dicti tres rationes reddunt Interpretes. vt est videre apud Barto. in. d. l. Stipulationes. quæst. 3. &

I 4 illic

illic ceteros. & Anto. Gom. varia. resolu. tomo. 2. c. 10. num. 24. in quo tamen aqua hærent (vt aiunt) ne quaquam enim videntur mihi Interpretes (quod eorum tamen pace dixerim) huius rei veram rationem assecutos: idq; vè ex eo intelligere licet, quòd huius rei rationem à ciuilibus causis mutuatur, cū tamen certissimè huius rei ratio à naturalibus causis pendeat. Enim verò verissima ratio, quamobrè factum diuisionem non recipiat, illa est, quoniam secundum naturam factum nequaquam diuisionem recipere potest: impossibile enim secundum naturam, vt quispiã pro parte facere possit, quoniã natura nõ patitur vt motus in partes diuidatur: quod quidem cum in omnibus factis cõtemplari licebit, tum in sequentibus, quæ exẽpli gratia subijciemus. Vt ecce ambulare facti est, in nitere igitur totis neruis, vt pro parte ambules, & ne moueberis quidem: item lapidem iacere facti est, da operam, vt pro parte iacias, & lapis quidem manu non cadet: similiter scribere facti est, finge igitur velle te pro parte scribere, & profectò ne vnã quidem literam exãrabis. Neque verò me latet posse te vsq; ad medietatem fundum ire, vel dimidium lapidem iacere, ac item dimidiam literam, vel papyrum scribere: atqui bñ fundi, lapidis, vel papyri, seu literę diuisio fit. Factũ verò eiusq; substantia nullatenus diuiditur: quia neque potest aduersante & repugnante natura. Ratio verò quare ita comparatum sit natura, illa est sanè, quia factum neq; antequam fiat, neq; quando fit, neque postquam est factum, in rerum natura non est; quod autè in rerum natura non sit, id diuisionem re-


ci-

cipere non posse palàm est: quemadmodum enim quod non videmus, neque tangimus, diuidere poterimus? Quòd autem factum in rerum natura nõ sit, tum scribit Iurisconsul. in. l. Opera. ff. de operis liber. tum rationem membratim explicat Romanus Pontifex Ioan. 22. in extrauag. ad conditorem. de verbo. signifi. Ex cuius sanè dictis aut nunquam alibi intelligi poterit, quamobrem factum secundum naturam diuisionem non recipiat. Proinde illius verba, quatenus ad hunc locũ pertinent, subijciemus, quæ talia sunt. *Patet autè (inquit Pontifex) quod aëtus seu factus, antequam exerceatur, aut etiã dum exerceatur, aut postquam perfectus est, in rerum natura non est: ex quo sequitur quòd haberi minime potest. licet enim & ante aëtum ipsum quis facultatem illam habeat exercendi, per hoc tamen aëtus ipse in rerum natura, nisi in potentia, nõ existit. Cũ autè aëtus est in fieri, neque adhuc quòd aëtus ipse in rerum natura sit, potest dici, licet pro eo, quod sit in fieri, dici possit: quod enim de aëtu, quod est in fieri, præterijt velfuturũ est, iam nõ est in rerum natura, sed in membris seu apprehensione tantũ est: quare nisi prout in memoria vel apprehensione tantũ est, haberi nequaquam potest: quòd autè in præsenti fit, momentaneũ vel instantaneũ est, quod vtiq; magis intelligitur, quã sensu percipi potest: unde haberi nõ potest prò tũc, nisi prò momento illo seu instanti, in quo cũ sit, potest dici aëtu post aëtu cõpletũ: licet si ex ipsa facta producta res aliqua fuerit, res ipsa facta haberi valeat, factũ autè ipsum quod itã transit, nisi in memoria (prout itã dicitur est) non haberi.* Hactenus Summus Pontifex, qui (mea quidẽ sententia) tam aperte, quã dilucidè videtur verã rationem exponere, quare factũ sit indiuiduũ. & planè quòd factum secundum naturam indiuiduũ sit, & ipsi Iuris

15 con

cōsulti satis significasse videtur. vt in l. 1. §. si vsusfru-  
ctus. ad legem Falcid. inquit enim. *Necessario ex omni-  
bus, quæ sunt facti pars, decedere debet, neq; pars operæ intelligi  
potest.* Idem significat. l. In executione. §. secunda. &  
l. Stipulationes. ff. de verb. oblig. l. Stipulatio. §. quæ  
sitū. ff. de noui operis nunti. & hâc nostrâ sententiâ,  
factum scilicet secundum uaturâ diuisionē nō reci-  
pere, tradunt quoq; Eguinarius & Charonda, hic in  
l. 2. ff. de verb. oblig. ille in. l. Seruitutes. §. viæ. ff. de  
serui. Sed tamē nō satis huius rei rationē explicant.  
Ex his ergo opinor cōstare rationē ad l. 2. tit. 4. li. 7.  
fori. quæ expressim inquit, furnū, molendinū, torcu-  
cularq; , indiuidua esse: enim uero nulla alia de causa  
hæ res diuisionē nō recipiūt, quàm quod earū vsus  
in facto cōsistat: vt res ipsa demonstrat. Hinc quoq;  
existimo cōstare rationē, quare testamentū sit indi-  
uiduū. l. Si quis. et ibi Bal. ff. de testa. quia nēpe volū-  
tas res facti sit. l. Bonæ fidei. ff. de ad qui. rerū domi.  
Hinc etiā ratio reddi potest, quare sacra missarū mi-  
steria indiuidua sint. c. Nihil. 7. questione. 1. nā vt ibi  
textus inquit, neq; perfecta videri poterūt, nisi perfe-  
ctionis ordine compleātur. Hæc etiam de causa ma-  
gistratum officium indiuiduum dicitur. l. Impera-  
tor. ff. ad municip. quia scilicet in faciēdo consistit.

§. PRIMVS.



**M** V M ex his manifestissimè ap-  
paret, quamobrem seruitutes in diui-  
dua sint. l. 2. §. & harum. & l. Stipula-  
tiones. ff. de verbo. oblig. in, qua qui-  
dem ratione quærenda nō mediocri-  
ter interpretes insudasse video: & licet diu (vt aiūt)  
istum

istum saxum voluerint, tamē an veram rationē asse-  
cuti fuerint, ipsi viderint. Ego sanè existimo ob id  
seruitutes diuisionem nō recipere, non quidē quia  
incorporales sint, nam & vsusfructus incorporalis  
est, vt Inst. de rebus corpora. & incorpo. et tamē di-  
uisionem recipit. l. 1. §. si vsusfructus. ff. ad l. Falcid.  
Sed idcirco quidē seruitutes diuisionem non reci-  
piunt, quia in facto consistunt. Quid enim aliud est  
seruitus itineris, quàm ius eūdi agendi? quid item a  
quæductus seruitus, nisi ius aquæ ducēdæ per fun-  
dum alienū. §. 1. Insti. de seruit. deniq; id generaliter  
in cæteris seruitutibus obseruare licebit. Cūm igitur  
factū diuisionē non recipiat, cōsequitur neque  
seruitutes, quia in faciēdo earū vsus cōsistat, diui-  
sionē nō recipere. Et hanc quidē rationē (ne à riuu-  
lis, sed à fonte quæramus) nulli ali acceptā ferre de-  
bemus, quā Iuriscō. in l. Viæ. ff. de serui. Viæ (inquit)  
*actus aquæ ductus pars in obligationem deduci non potest, quia  
eorum vsus in liuisus est.* hæc Iuriscō. Sed cedo quare  
eorū vsus indiuisus est? quia scilicet facti res est. & sa-  
nè postquam hanc rationem in illa lege notauerā,  
reperi idem placuisse Eguinario ibidem. quo nomi-  
ne ingenio meo gratulatus sum, quod tanti vi-  
ri ingenio respondisset. Patere à ex superioribus  
constat item ratio, quare vsus indiuiduus sit. l.  
Vsus pars. ff. de vsu, & habita. cūm etenim vsus  
in facto consistat, nihilque aliud in vsu, quàm  
factum reperire liceat. l. 1. ff. de vsu, & habi. &  
declarat Romanus Pontifex in dicta extranag. ad  
conditorem, factum verò diuisionem non reci-  
piat: conuenienter apparet, neq; vsū diuisionem  
reci-

recipere posse. Vfusfructus verò idcirco diuisionē patitur. l. 1. §. vsusfructus. ff. ad l. Falcid. & l. Et per ius iurandum. ff. de accepti. quia licet sit ius incorporale, tamē ius istud cōsistit in re corporali, scilicet in fructibus, qui corporales sunt, & diuisionē recipiūt. §. 1. Inst. de rebus corpo. & incorpo. Sed illud profectō mirū videtur, vt vsusfructus sit diuiduus, cū interim in se cōtineat vsū, qui est indiuiduus: cōtrā verò aquæ ductus sit indiuiduus, cū tamen in se contineat rē diuiduā, nempe aquā. Et sanē de aquæ ductu rationē expendit magis latè, quàm verè Bart. in dicta. l. Stipulationes nō diuiduntur, 2. oppos. cui ceteri quoq; assentiūtur: de vsufructu verò rei forsan difficultate fractus reliquit cogitandū. At ipse verissimā huius discriminis rationē deprehēdisse videor: illā scilicet, quia in vsufructu fructus, qui res corporalis est & diuidua, principaliter inest, vsus verò accessoriè, in aquæ ductu verò per contrariū, ductus, qui est facti & indiuiduus, principaliter inest, aqua verò per accessionē, seu accessoriè, vt aiūt: quod quidē vel ipsa vtriusq; verbi syntaxis demonstrat. Cū igitur in iure principalis, nō accessoriij (vt vocāt) natura sit spectāda. l. Eū, qui ædes. ff. de viucap. tex. in. c. Ex literis. de iure patro. euenit, vt vsusfructus diuisionē recipiat, aquæ ductus cōtrā nō recipiat. Quod autē de vsu constitutū est, vt diuisionē nō recipiat, idem quoq; de habitatione recipiendū erit: cū constet illam perinde ac vsū in facto cōsistere. l. Si habitatio. ff. de vsu, & habit. & id satis Iuriscōsul. significasse videtur, cū generaliter definiāt omnes seruitutes excepto vsufructu diuisionem nō recipere. l.

1. §.


1. §. si vsusfructus. ff. ad leg. Falcidiam. l. 2. §. & harum. ff. de verb. oblig. Quapropter haudquaquam ferendus est Ludouicus Charonda, qui contrarium scripsit in dicta. l. 2. ff. de verb. oblig. deceptus quidem argumēto. l. Cū antiquitas. C. de vsufruct. quæ tamē (nifallor) nihil ad hāc rē pertinet. Hęc sunt, quæ sentio de ratione, propter quā facta diuisionē non recipiant: quæ quidem hęc magis notanda esse arbitror, quōd longius interpretes à vera ratione abfuisse videntur. quāuis enim ea inuestiganda multi sermone fuerint: nihil aliud tamen præstitisse videntur, quàm vt magnas, & (vt aiūt) cimmerias tenebras in hāc materia infuderint ita, vt si eorū commentarios satis ponderosos vel summo studio scruteris, nihilomāgis rescatur intellectus. id quod etiā non nulli ex ipsis fatentur, in quibus las. in d. l. 2. §. & harū. ff. de verb. oblig. Quoniā verò facta, vt diximus, secundū naturā diuisionē non recipiunt, id etiā locum habere dicendū est, à principio, scilicet in contrahendo; seu stipulando, quod sanē apertissimè ostendit illa lex, Stipulationes non diuiduntur: inquit enim. *Horum diuisio corrumpit stipulationem.* Et ne longius abeamus, plusquam apertissimè probat. l. Libertus, qui post indictionem. ff. de oper. liber. inquit enim. *Neque promittit, neque soluit, neque debet, neque peti pro parte poterit opera.* Quo circa haudquaquam audiendus est Bart. qui contrariū scripsit in dicta. l. Stipulationes. quæst. 6. nisi forsan putaueris plus Bart. quā Iuriscōsul. (id est plus vmbre, quàm Soli) tribuendum esse. Neque sibi quis blandiatur ex eo, quōd fundi partem stipulari possumus, & foueæ pars purgari valet. l. 2. §. praterea. ff. de aqua



aqua plu. arceud. l. Locus. ff. de acqui. posse. quarum  
 argumento deceptus est Bar. Nam tum quidem fun-  
 dus, locus, seu fouea diuiditur, nō verò factū, quod  
 impossibile est, vt diuidatur aduersante & repugnā-  
 te natura: æquē etiam vsus seruitutum temporibus  
 fecerni potest, fortē vt quis post horam tertiam vs-  
 que ad horam decimam eo iure vtatur, vel vt alter-  
 nis diebus vtatur. leg. Via. §. vsus. ff. de seruitu. nam  
 eo casu vsus, qui facti est, non diuiditur, quia neque  
 potest, sed distinguitur, per variationem temporis,  
 vel modificatur, vt ita dixerim. l. Seruitutes. §. mo-  
 dum. ff. de serui. & ita declarat Bart. in dicta. leg. Sti-  
 pulationes. oppo. 2. cui tamē si addideris illud, quod  
 rectē addi potest, eo casu tempus diuidi, non verò  
 vsus, quia neque potest, nihil illa lex impedi-  
 intulerit. Maneat igitur, factum secundū naturā  
 indiuiduum esse, quam quidem cōclusionem mul-  
 tis procellis ereptam, eandem rursus velut in Syrtis  
 placet adigere: is est tex. in. leg. 4. §. Cato. ff. de ver-  
 bo. oblig. quem non iniuria Syrtum nomine, pro-  
 pter multas in eo scaturientes difficultates, notasse  
 videmur. Ille igitur tex. ita vehementer superiorem  
 conclusionem exagitat, vt tantū non submerge-  
 re videatur. Ait enim aliud esse factum diuiduum,  
 aliud indiuiduum, at si secundū naturam, vt dixi-  
 mus, & verissimum est, factum diuisionem non re-  
 cepit, necessariō id indistinctē procedere debet:  
 nam vt Aristo. libro. 5. Ethico. inquit, ea, quæ natu-  
 ralia sunt, immutabilia sunt, & idem vbique valēt:  
 probat idem. §. sed naturalia. Inst. de iure natu. gēt.  
 & ciuili. Accedit eodem quod Baldus noster lu-  
 rispe-

risperitorum Philosophaster inquit in. l. Quod de-  
 bitori. C. de pact. id quod natura impossibile est, nō  
 posse possibile effici legis autoritate. Sed huic diffi-  
 cultati ita mihi satisfieri posse videtur, quod ideo  
 Iuriscō. in dicto. §. Cato. factum indiuiduum ap-  
 pelet, non quia illic facti substantia diuidatur, sed  
 numero, id est, in personis hæredum diuisio fiat, de  
 ea enim diuisione inter hæredes facienda loquitur,  
 numero verò factum diuisionem nequaquam asper-  
 natur, vt ostēdit Iuriscō. in. l. Stipulationibus. §. ope-  
 rarum. ff. de verbo. oblig. ait enim. *Diuisio eius stipula-  
 tionis non in partes operarum, sed in numerum cedit.* Quasi  
 apertius Iuriscō. dixerit, opera seu eius substantia  
 non diuiditur, sed numerus operarum. Atq; ita ille.  
 §. Cato. nostræ sententiæ non repugnat, cū enim  
 numero factum diuiditur, non tam factum, quā  
 numerus ipse diuisionem recipit: at nos facti substā-  
 tiam diuisionem recipere negamus.

## §. SECVNDVS.



I S itaque tam altè materia: utili-  
 tate suadente repetitis, ad proposi-  
 tam quæstionem accingamur, nē-  
 pe an is, qui faciendum aliquid pro-  
 misit, velit nolit, ad faciendū co-  
 gi debeat. Et sanè quod ad ius cō-  
 mune attinet, cōmuniter receptū est, nō posse facti  
 10 promissorem inuitum cogi ad faciendū, sed præstā-  
 do id, quod interest, liberari. Hanc sententiā ample-  
 eti-

Etitur Bar. in. l. Stipulationes non diuiduntur. quæ-  
 ff. 8. cui ceteri illic astipulantur. & deniq; commu-  
 nem testatur Iaso. in. l. Si quis ab alio. §. fin. ff. de re iu-  
 di. Ceterum quantum ad nostrates leges Regias per-  
 tinet, nonnulla est inter iuris Interpretes dissensio.  
 Si quidem Grego. Lop. in. l. 3. titu. 14. part. 5. in ea est  
 sententia, vt existimet hanc communem sententiã  
 antiquatam esse per qualdã leges Part. quas allegat.  
 Placet itaque ei hodie semper cogendum facti pro-  
 missio rem vt faciat, id quod iure Pontificio omnino  
 verum esse tenere nõ pauci, quos refert Domi. Co-  
 uarrtu. in. cap. Quauis pactum. de pactis. 1. par. §. 4.  
 versi. 8. at Anton. Gomez vir quidem multis nomi-  
 nibus laudandus. in tom. 2. varia. resolun. c. 10. num.  
 20. contrariam sententiam amplectitur affirmans ni-  
 hil nostrati Regio iure immutatum esse. cui ego in  
 hac parte magis assentior: etenim argumentũ, quod  
 Grego. assumit ex illis legibus septem partitis proce-  
 dit à contrario sensu: at qui apud nos verissimum est  
 argumentum à contrario sensu ad alterius iuris cor-  
 rectionem vim nullam habere. glo. in. cap. 1. de ata.  
 & quali. in. 6. ver. permittimus. Iaso in. l. 1. num. 37. ff.  
 de off. eius, cui mãd. est iurisdictio. Sed neque quid-  
 quam oberit. l. 5. titu. 27. par. 3. qua cautũ est eum, qui  
 ex re iudicata teneatur facere, cogẽdum omnino vt  
 faciat: nam secundum Anto. Gom. illa lex est acipiẽ-  
 da secundum ius commune, scilicet nisi is, qui tene-  
 tur facere malit id, quod interest, prestare. Vel veriũs  
 illa lex est accipienda in casu, quo loquitur: quũ quis  
 ex re iudicata tenebatur facere, nam tum & secundũ  
 ius commune sententia præcisim obligat ad facien-  
 dum,

dum, sicuti placet Baldo in. l. Qui restituere. ff. de  
 rei. v. d. & ita ibidem intellexit illam legem Grego-  
 rius ipse, vt interim omittam leges Bar. in dubio se-  
 cundum ius commune interpretandas esse: vt pas-  
 sim nostrates scriptores admonent. Maneat itaque  
 tam iure communi, quam regio obligatus ad faciẽ-  
 dum non omnino cogendum, vt faciat, sed audien-  
 dum si malit facti affirmationem, seu id, quod inte-  
 rest, prestare. Ad hanc tamen regulam non pauca  
 exceptiones afferunt Interpretes in dicta. l. Stipu-  
 lationes non diuiduntur. & in dicta. l. 2. §. hancum. &  
 §. sed si in facto. & Anto. Gom. loco modò citato.  
 Anto. Burg. in rubrica de emp. & vend. num. 3. & a-  
 lij, quos allegat Dueñas regula. 291. Miror tamen su-  
 perioribus in locis non meminisse doctores cuius-  
 dam singularis limitationis, quam scribit Bald. in.  
 l. 1. C. de senten. quæ pro eo, quod interest, profert.  
 ubi bellissimè inquit: quotiescunque in contractu-  
 guarentigio (quod vocant) factum promissum fue-  
 rit, præcisim teneri promissorem ad faciendum, cui  
 astipulatur Ias. in. l. Certi conditio. num. 20. ff. si  
 certum petatur. quod tanquam singulare hic refer-  
 refuit cordi. Circa id verò, ne macam hanc senten-  
 tiam relinquamus, necessarium punctum atque iur-  
 tà difficile sese offert: nempe, cum ita in instrumen-  
 to guarẽtigio factum promissum est, vtum pro eo,  
 quod interest, executio locum habeat, scilicet quan-  
 do nominatim de eo, quod interest, cautũ nõ fuit;  
 nam si expressim fuisset cautum, nihil dubij esset e-  
 xecutionem locum habere, facta liquidatione eius,  
 quod interesset. Et planè, vt diplomate iteraga-  
 mus,

Diplomate v-  
ti quid sit ape-  
rit Iurisc. in l.  
Cōtinuus. §.  
1. ff. de verb.  
oblig. & Plin.  
lun. lib. 10. e-  
pist. vltima e-  
pist. Beroal. in  
Suetō. in vita  
Cæsaris Aug.

mus, est hæc quæstio pro vtrâq; parte tractata apud  
Ias. in l. Certi conditio in numero. ff. si certum pet. &  
demû testatur cōmunē esse: opinionē; executionē  
locum non haberent rectè tamen autoritatē com-  
munis opinionis ei impartiatur, ipsa viderit. Ean-  
dem opinionem sequitur Suarez in l. Post rem. li-  
mit. 4. ad legem Toleti. Ego verò, vt quid in hac re  
sentiam, in medium proferam, in primis animad-  
uerto doctores vel in ipso quæstionis errare funda-  
mento, & tanquam in scirpō (vt aiunt) nodum qua-  
rere. Falsum est enim quod aiunt, in obligationibus  
faciendi post moram succedere obligationem ad  
id, quod interest: non succedit enim ad id, quod in-  
terest, sed ad facti veram æstimationem, vt apertè  
apparet ex illa. l. Stipulationes non diuiduntur. §.  
Celsus. at inter veram facti seu rei æstimationem,  
& id, quod interest, longè quidem interest. Enim  
verò, id quod interest, extra rem est; estque longè di-  
uersum ab ipsa facti vera æstimatione. Hæc verba;  
n. 19. ff. de verb. sig. l. In furti actione: ff. de furtis. l. 1.  
§. non tantum verba. considerandum. ff. de tutelis,  
& rationibus distrah. l. Si plus. ff. de iunctio. l. 1. §. si  
ff. si quis ius dicenti non obtemp. l. Si fundus. ff. de  
re. l. Debuerant ergo doctores potius querere, an  
cum factum ex syngrapho seu instrumento gūtare  
pignus debetur, post moram locum habeat executio  
pro vera facti æstimatione. Quam quæstionem vt  
absolutam, proculdubio existimo executionem pro  
vera facti æstimatione locum habere. Id verò (vt cæ-  
tera omittam) vel vno argumento conuincam, nē  
pe. ex l. Julianus. ff. de confess. ex qua notat Bart. re-  
per

perempta posse nihilominus ex instrumento gua-  
rentigio, in quo contenta erat, pro vera rei æstima-  
tione executionem peti. Bart. verò ( vt cæteros ta-  
cēa) sequitur Suarez in leg. Post rē. notabili. 3. & Pa-  
la-Rau. in l. 63. Tauri, num. 32. Ergo idem dicendū  
est in nostra quæstione, vt post moram pro vera fa-  
cti æstimatione executio locum habeat. Possem & a-  
lia multa in hanc partē afferre, præsertim que affert  
Ias. in. d. l. Certi cōditio. & Suarez in l. Post rē. ex-  
tensione. 2. ad legem Toleti. quæ quidem mirum in  
modum nobis suffragantur. Sed si paucis res appa-  
ret, quorsum quæso attinet Solem (vt aiunt) facibus  
illustrare, nisi forte vt nimium disputando (vt est in  
proverbio) veritas amittatur. Sed hæc hæctenus. In  
diuiduorum materia latè patet, atque inter omnes  
ferè subtilissima est: verum neq; mei instituti meta,  
neque huius voluminis exiguitas me amplius habe-  
nas laxare patitur.

An pater, qui vnicum tantum filium habeat,  
possit facere prælegatum, præceptionem  
seu fideicommissum (siue, vt vulgò loquū-  
tur, meliorationē) tertiæ partis bonorum  
suorum in fauorem descendentiū. Cap. 7.

**V**nicuique patrem posse eū prælegatum facere non tantū  
quintæ partis, sed & tertiæ, licet aduersus communem  
asseritur per totum capitulum.

Verbū melio-  
rare & melio-  
ratio Latinum  
est vtitur eo. l.  
Si usufructus  
§. sed si. ff. de  
usufruct. l. si.  
C. de neg. ge-  
st. l. si. C. de iu-  
re emphiteo.  
inalia significa-  
tio. tamē illic  
accipitur, nos  
in vulgari vt  
intelligamur  
accipimus.



**A**OSTRARIIS Interpretes  
vno ore consentiunt omnes, non  
valere prælegatum seu fideicomis-  
sum (seu, vt interim vulgari verbo  
vitar, meliorationem) tertiae partis  
relictum a patre filio suo, quem va-  
nicum habeat. Huius opinionis auctor est Palas Ru-  
us. in l. 27. Taur. num. 23. cui assipulatur Bernardi  
Diaz reg. 141. & Dominus Covarr. lib. 1. varia. resol.  
li. cap. 19. num. 3. & Grego. Lop. in l. 2. titu. 15. Part. 2.  
glōf. 1. & iterum in l. 8. titu. 4. Part. 5. versu. actio. An-  
ton. Gome. in l. 13. Tauri. num. 19. & nouissime Gas-  
par Baecius de non meliorandis filiabus. cap. 9. Quan-  
tis autem istorum virorum summa sit auctoritas,  
quippe qui plurimum & iuris scientia & multa-  
rum rerum cognitione valent, valuerintque: non  
tamen in hercule tantum valere debet, vt veritati  
quidquam possit asserre præiudicij. Veritatē enim  
omnia vincere certissimum est. Proinde ipse quan-  
tuluscunque sim, quoniam videre videor istorum  
opinionem veram non esse, non verebor veritate  
sola consistere cum eis in arenam descendere, nianum  
que conferere: speroque Deo fauente futurū vt isto-  
rum auctorum opinionem (quod eorum pace dixe-  
rim) fallam esse ostendam. Hæc autem disputatio il-  
lum habebit effectum, quod si melioratio valet, po-  
terit ei pater quodcunque onus per fideicommissum  
iniungere, in fauorem scilicet futurorum liberorū.  
iuxta tex. in l. in titu. 8. lib. 5. Recopil. Sin verò non  
valeat, minimè id patri licebit, cum sit certissimū  
qualitem non consistere sine subiecto. Igitur breui-

tati

tati consulentes simul exponiam, que nobis suffragā-  
tur, simulque argumentis contrarijs satisfaciā. Pro  
hac igitur nostra sententia (vt à nonisimis & rece-  
ptissimis regulis exordiamur) iustifigatur in primis  
illud, quod vulgò dici solet, Vbi fuerit eadē vel ma-  
ior ratio, idem iuris statuenđū esse. l. illud. ff. ad legē  
Aquil. l. A Titio. ff. de verb. oblig. & illic laio. Verū  
in hoc casu, de quo agimus, maior vtique ratio sua-  
det vt demus patri hoc ius prælegandi & meliora-  
tionem faciendi, quando vnicum habeat filiū, quā  
quando habeat plures. Nam pluribus liberis extan-  
tibus, si vni prælegat, cæteris damnū infertur: quia  
ab eis auferitur quod fratri prælegatur, atque præte-  
rèa iniuria quodammodo cæteri afficiuntur, ægrè  
enim ferunt fratrem sibi anteferri: vnde eo nomine  
non rarò inter eos solent lites atque similitates sub-  
oriri. l. Cum oportet. C. de bonis, quæ liber. Quæ  
vtiq; incommoda palam est cessare, quando pater  
vnico filio prælegatū relinquit: nemo enim est, qui  
queratur, nemo est, qui damnū vel iniuriā accipiat,  
ipse solus est, ipse solus, quod gratisimum est, bona  
cūcta paterna nanciscitur. Quamobrem non inui-  
tus hoc locò quæsierim à vobis alioqui sapientissi-  
mi Interpretes, quo iure vobis hæc sententiā affrua-  
tis? Quo iure patri vnicum filium habenti, quod in  
nullius iniuriam vertat, negatis; quod plures filios  
habenti conceditis? An quia defunctorum volunta-  
tes arctanda sunt, aut restringenda? At contrā eas la-  
tè benignè que interpretandas esse cūcta iura procla-  
mant. An quia fortè in anterioribus legibus simile  
quodpiā reperiat is exemplū, quod sequamini? At id

K 3 mini-

minimè dici potest, quinimo anteriores omnes leges in legitima filiorum portione definienda eam rationem habuisse videntur, ut quanto plures liberi extarent, tantò magis legandi & fideicommittendi facultatem contraherent: atque ex diverso, quò pauciores, eò maiorem patri legandi copiã laxarèt, atq; extenderent. ut est videre in Auth. de triente, & semisse, col. 3. & in l. 17. titu. 1. part. 6. Quod est igitur vestræ opinionis fundamentum? At at illud est, quò dicatis verbum meliorationis in vnicũ filiũ non quadrare; ac proinde fatemini etiam vnico filio extante non prohiberi patrem ei meliorationẽ quintæ partis facere. Quoniam cum hoc quincuns extraneis relinqui possit, is vnicus filius tãquam inter extraneos rectè eligi dicatur. Sed hoc vestrũ argumentũ sapientissimi viri quã validũ efficacq; sit, vos ipsi videritis. At, mea quidem sententia, non est adeò forte, ut ob illud à vero deflectere debuissetis. Primũ, quia nõ est nouum in iure, ut ea verba, quæ prælationem præ se ferunt, in vnum tantũ cadant. vnde id quæritis? id mihi nequaquam creditis. velim, nisi illud apertissima Iurisperitorum responsa probauerint. atque in primis. l. In vulgari ff. de verb. sig. cuius hæc sunt verba. *In vulgari substitutione, qua ei, qui supremus morietur, hæres instituitur; rectè hæres substitutus etiam vnico intelligitur, ex epl. duodecim tabularum, ex quibus proximus agnatus etiam solus habetur.* Idẽ ostendit. l. Illa. ff. eodem tit. Illa verba (inquit) optimus maximus vel in eũ cadere possũt, qui solus est. Idẽ demonstrat quoq; l. Proximi ff. eod. tit. & l. 1. §. proximus. ff. vnderog. tex. etiã in l. Qui duos. §. nã & qui vnicũ. ff.

A

de

de rebus dub. his verdis. *Nã & qui vnicũ filium habet, si supremo moriente substituit, non videtur inutiliter substituisse.* Hactenus Iurisc. Non aliter etiam primogenitus dicitur is, qui solus est. c. Ioseph. de verb. sign. Dein de totum hoc vestræ opinionis fundamentum funditus euertitur ex eo, quò non minũ verè, quã eruditè tradit Tullius Fernand. in l. 21. Taur. n. 5. & 6. vbi ex legibus Regijs probat hoc verbum meliorationis non semper significare electionem seu prælationem, sed potius legatũ seu donationem. Iã illud quoq; notius est, quã ut nostra admonitione indigeat, cõparatiuũ pro positiuo non rarò in iure poni solere. gl. in c. Omnis. verb. doctiorẽ. 7. q. 1. l. Verbũ amplius. ff. de verb. sig. Quò si adhuc his nõ assenti mini, animaduertite quæso hoc verbũ meliorationis etiã vnico filio extante electionẽ & prælationẽ significare, ne per respectu futurorũ liberorum, inter quos parètib; prælegandi & fideicommittendi plena est à lege tributa potestas. l. 11. titu. 6. lib. 5. Recopila. Desinite ergo, desinite iam hoc loco toties nobis tã intempestiuè hoc verbum meliorationis obstrere, & nolite quæso tam infirmo (ne dicam futile) argumento, toto iure totaque ratione refraganti, tã acerbam parentis solitudini inurere sententiam. præsertim cum tale etymologiæ argumentum alioqui non omnino perpetuum sit, sed plerunque fallax & infirmum, ut videre licet apud Intepretes in. leg. 1. §. appellata. ff. si certum petatur. Ad hæc, huic nostræ sententiæ suffragatur, quò si cuti respectu extraneorum quinta pars bonorum filio legata intra ipsam legitimam portionem non computatur

K 4 tur

tur: æquè etiam hæc tertia pars filio legata intra ipsam legitimam portionem nõ computatur, Suarez in leg. Quoniam in prioribus. ampliatione. 7. num. 4. Pala. Ruu. in leg. 27. Tauri. & in ca. Per vestras. §. in constituenda. num. 11. & Dominus Præsul Couarruias. lib. 1. varia. cap. 19. num. 4. & id apertè probatur in leg. in tit. 6. lib. 5. Recopila. Ceterum nostrates Interpretes istud argumentum in suam sententiam afferunt ex eo, quòd respectu extraneorù huiusmodi tertia pars intra legitimam cõputetur, cõstet que in hac specie, de qua agimus, scilicet vnico filio extante cæteros omnes extraneos esse. Sed huic quidem argumento ex suprãdictis quoque patet respõsum: tum quia nulla iusta discriminis causa potest dari, quare magis hæc tertia pars non computetur intra legitimam vnico filio extanti, quàm quando pluribus: & idcirco tantundem vtroque casu est recipiendum: tum quia hæc tertia pars non solum ipsorum filiorù respectu intra legitimam filiorù portionem non computatur: sed etiam respectu cæterorum descendentiũ. l. 2. & l. n. tit. 6. lib. 5. Recopil. & proinde tantum abest, vt istud argumentũ Interpretibus opituletur, vt ex diuerso in nostræ partis aceruũ non immeritò aggregari valeat. Sed quid moror, cum hanc nostram sententiam non obicure probare videatur illa lex vndecima tit. 6. lib. 5. Recopila. qua quidem indultum est parentibus, vt ascendentibus descendentiibusq; desideratis, etiam inter cognatos, ac deinde inter extraneos legandi & fidei committendi de hoc quadrante liberam habeant facultatem. Quis verò non videt liberos deficere non posse

posse, nisi ad vnum tantum prius ventum sit? Neque quicquam refert, si quis dixerit hanc legem accipiendam, pluribus liberis tempore meliorationis superstibus: nam hoc nihil aliud est, quàm diuinare. Et refragaretur item regula illa, Ea, quæ in eam causam venere, à qua incipere, non potuere pro non scriptis haberi. l. Si in metallum. ff. de ijs, quæ pro non scriptis habentur. Et quid quæso interest an à principio, vel post liberi deficiant? illud solum dixeris, quòd hinc verbum meliorationis quadret, illic non quadret. At hoc futile esse argumentum, neque dignũ, propter quod à legis ratione discedamus, paulò ante monstrauimus. Parui quoque refert, quod interpretes aiunt, leges Regias de hoc quadrantis melioratione loquentes loqui semper pluribus liberis extantibus. Nam primũ liberorum pronuntiationem in vno etiam intelligi certum est. l. 1. C. de condi. infert. l. Gallus. §. quid si is. ff. de libe. & post h. & vtroque scriptores. Deinde illæ leges non quidẽ disponendo, sed narrando plurium liberorum mentionem faciunt, idque etiam ratione frequentioris vsus. Quibus casibus non rectè ex talibus legibus argumentum sumitur, iuxta ea, quæ tradit Ias. in l. 1. n. 31. C. de sacrosanct. Eccles. Prætereà leges etiam in plurali loquentes procedere etiam in vno, si eadem sit ratio, probat glo. in cap. 1. verb. capella. ne clerici vel monachi. in. 6. & tradit Tiraq. de retract. linag. §. 1. gl. 21. num. 8. & latius in l. Si vnquam. versi. sulceperit liberos. n. 215. Quid? quòd non nunquam leges ipsæ Regiæ in singulari numero loquuntur. l. 5. & l. 12. tit. 6. lib. 5. Recopil. Deniq; pro hac opinio-

ne, alijs multis omiſſis, faciunt ea, quæ pro æquitate contra rigorem cōmuniter diſputari ſolēt: eſt enim hæc quæſtio de bono & æquo. quo in genere, vt Iuriſ con. inquit, plerunq; ſub autoritate iuriſ ſcientiæ pernicioſè erratur. l. Si ſeruum ſi ichū. §. ſequitur. ff. de verb. oblig. eodē pertinet. l. In ſumma. §. itē Varus. ff. de aqua plu. arcend. l. 3. §. ſi quis quaſi. ff. de cōdit. cauſ. dat. & quæ copioſè copioſus Tiraq. affert in tract. linag. §. 35. glo. l. nu. 7. cum ſeq. Deniq; ſicuti Cicero pro Murena antiquos Iuriſ conſultos: ita nos noſtros Interpretes hoc loco carpere rectè poſſumus, quòd verba tenentes æquitatem relinquunt. Ac latiùs hæc noſtra ſententia confirmatur ex ipſius Cicer. verbis pro Aul. Cecinn. *An tu (inquit) qui tam diligenter & tam callidè verbis controuerſias, non æquitate dijudicas, & iura nō utilitate communi, ſed literis exprimis: poteris ne dicere deiectum eſſe eum, qui iactus non erit. An non cum voluntas & conſilium & ſententia interditi intelligatur, impudentiam ſummam aut ſtultitiam ſingularem putabimus, in verborum errore verſari; rem & cauſam & utilitatem communem non relinquere ſolum, ſed etiam proedere. Quæ enim lex, quod fœdus aut teſtamentum nō infirmari aut cōuelli poteſt, ſi ad verba rem deſlectere velimus, cōſilium autē eorū, qui ſcripſerunt, & rationem & autoritatem relinquamus?* Ex his igitur non ſolum (vt exiſtimo) noſtra hæc ſententia eſt confirmata, ſed pariter argumentis cōtrarijs eſt ſatiſfactum. Solūm reſtat, vt proſtigemus argumentum, quo vtuntur doctores ex. l. Vtrum. ff. de af. fig. liber. & §. 2. Inſt. eodē. tit. quibus eſt expreſſum, ius illud aſignandorū libertorum competere patri, qui plures filios in poteſtate habeat: ſimiliter ergo a-

iunt

iūt Interpretes, ſtatuēdū eſſe in hac tertia parte bonorū. Sed neq; hæc autorū argumētatio quidquam nobis negotium faceſſit: maxima enim diuerſitatis ratio in hoc caſu verſatur. Cū etenim hominum vita mortalis ſit, ſuperuacuū eſſet, illam libertorum aſignationē in futuros deſcendentes facere, cū liberti perpetuò viuere nō poſſint: vnico autem filio fruſtrā aſignaretur, quippe cū ipſe ſine tali aſſignatione ius patronatus haberet. At è contrario hæc bonorū meliorationem, de qua agimus, palàm eſt ſatis conſultò futuris deſcendentibus relinquere, cū bona perpetuò durent, atq; proinde nō eſt inutilis melioratio vnico filio facta: quoniam etſi abſq; melioratione filius ille cuncta bona patris habiturus ſit; at tamen futuris deſcendentibus nō ſatis conſultū eſſet. Igitur, ſi verum amamus, ſi magis veritate ipſa, quàm autorū opinione ſectimur: apparet nihil eſſe, quod nobis obſtet, ſed ſummam pro nobis rationem facere. Quòd ſi adhuc candide lector in re tam aperta anceps es, pone quæſo ante oculos te vnici filij patrem eſſe, atque deinde omnibus fortunæ bonis abundare, ac eueſtigio ne tui memoria intereat, ac vt familiæ tuæ conſulas, velle te (quod omnium mortalium ferè eſt ingenium) poſteris tuis bona tua fidei cōmiſſi & meliorationis vinculo ligata relinquere; occurratq; tibi quiſpiam, qui dicat id tibi facere per ius nō licere, nō quia id lege ſit prohibitū, ſed quia dicat ita Interpretum opinione comparatum eſſe. Diſpream ſi non ſtatim in Iure peritos ſtomacheris, ſi nō continuò queraris à tota ratione alienum eſſe non licere tibi vnico filio extante id facere citra vli-

lius

lius iniuriam, quod facere pluribus extantibus non sine quorundam iniurialiceret. Si non statim exclames, hoc ius non esse, sed summam iniuriam ex verborum aucupijs, legis mēte, iurisq; ratione cōtemptrales in ius opiniones inducere. Si ergo ita se res habet, quid quāso dubitas, nostræ accedere sententiæ? Nam quod contraria opinio communis sit, parum quidē te mouere debet, nam cū de veritate constet, plus quidem ratio, quā vulgari opinio valere debet. vt probat. l. 1. §. si dos. ff. de impē. in reb. do tali. fact. & l. Nemo. de sentē. & interlocu. omnium iud. & c. Capellanus. de ferijs. & tradūt Panor. & ceteri in c. 1. de confitu. & Mathefil. in peculiari tract. de electione verioris opinionis. & Ioan. Neui. in sua Sylua. lib. 5. n. 67. Ac de hac quæstione satis. An verò quando pater filio vnico prælegatum seu meliorationem fecit, alijs filijs postea natis, melioratio irrita fiat; consule Grego. Lopez in l. 8. titu. 4. part. 5. verbo. à otro. & Dominum Couarru. libro. 1. variarum, c. 19. n. 2. & 4. Baëcium de non meliorandis filiabus, c. 9. Quibus adde quæstionem affinem, an beneficium Regium ad maioratum instituendum datum illi, qui vnicum filium habeat, post alijs filijs natis, irritum fiat; per Grego. Lop. in l. 32. tit. 9. par. 5. in glo. magna, col. penul. vers. quid autem.

Quemadmodum is, qui habita fide pretij vendidit, sibi prospicere possit aduersus ceteros emptoris creditores. Cap. 8.

Is,

Is, qui habita fide pretij vendidit, sibi prospicere potest, si in contrahendo cauerit, vt res vendita præcario apud emptorē sit, quoad pretium vniuersum persoluatur. n. 3.  
Eadem cautio erit, si emptor fundum conducto acceperit, donec pretium soluerit. n. 4.



**I**N T E R omnes iuris Interpretes cōstat, eum, qui habita fide pretij rem vendidit, non esse potiore in re ipsa vendita prioribus ipsi emptoris creditoribus, Faber. in §. venditæ. Inst. de rerum diuisio. Bart. in l. Si cūm dotem. §. si. num. 10. ff. solū. mat. & denique communem testatur opinionem Ias. in l. Creditor. ff. si cert. petat. & alij relati à Domino Archiepiscopo Couarru. libro. 1. varia. cap. 7. num. 2. Videamus igitur an venditor aliqua cautione, siue maius cautela, sibi prospicere possit. Et quibusdam sanè placet, satis venditori cautum esse, si in venditionis lege comprehensum fuerit, ne aliter dominium rei venditæ ad emptorem transferatur, quā si prius totum pretium exolutum fuerit. Hanc cautelam alios referens tradit Capola cautela. 124. num. 2. & eam quoq; ponit nemine tamen citato noster Grego. in l. 28. titu. 13. Part. 5. & memoria recolo idem excepisse me ab acutissimo iuxtaq; sapientissimo doctore Aguilera nunc Regio Senatore meritissimo integerrimoq; quemq; vt ipsius dignitas & eruditio poscit, honoris causā nomino, eū prorsus Salmanticæ Pontificij Iuris Primariam Cathedram profiteretur: allegabatq; non malè in hanc sententiam textum in c. Olim causam. de restitu.

Hoc verbo cautela vtitur Iuriscon. in. l. Quāuis. ff. de pign. actio. & in. l. Si debito ri. ff. de lud. ne puteritur quis Latinū. non esse.



fitu. spolia. quem ad præsens Interpretabatur. hanc etiam cautelam scribit Anto. Gom. in comm. tom. 2. c. 2. num. 30. & Anto. de Fano de pigno. §. par. 2. mēbro. n. 18. & Ioan. Gutierrez allegatione. §. nu. 2. omnes verò hanc cautelam eliciunt ex tex. in. l. Cum manu fata. §. si. ff. de cōtrah. empt. An rectè, sanè nō immoror, cū animaduertam expressim & apertissimè aliam cautelam in hāc rep. ab ipsismet Iuriscō. nobis tradi, nēpe si venditioni illa lex adijciatur, vt res vendita precario apud emptorem sit, quoad pretium vniuersum persoluerit: nam tūc & dominium & possessio penes venditorem remanent, ac per hoc pretio non soluto potest veditor reuocato precario, vel per rei vendicationem, vel per interdicta possessoria ceteris creditoribus anterioribus etiam exclusis rem venditam recuperare. Hanc cautionē bellissimè docet Iuriconsultus in. l. Ea, quæ distraeta. ff. de precario. *Ea, quæ distraeta sunt, inquit, vt precario penes emptorem essent, quoad pretium omne persolueretur: si per emptorem steterit, quominus persolueretur, venditor rem posse consequi.* Idem etiam ostendit Imperator. in. l. 3. C. de pact. inter emp. & v̄d. Cuius hæc sunt verba. *Qui callege prædium vendidit, vt nisi reliquum pretium intra certum tempus restitutum esset, ad se reuocaretur: si nō precariam possessionem tradidit, rei vendicationem non habet.* Idem etiam probat tex. in. l. Serui. ff. de pericu. & cōmo. rei vendi. quem ad similem cautelam allegatū reperio apud Ioan. And. in add. ad Specul. tit. de empt. & vend. §. 1. num. 8. ver. si. ipse facile. Hæc igitur cautio à nobis, imò potius ab ipsismet Iuriconsultis tradita longè multò notabilior est, quàm illa altera

tera ab scriptoribus data. Quid ni? cū hæc ab ipsismet Iuriscōsultis procedat, illa verò ab scriptorum tantum argumentis sumatur. Atqui quātò satius est è fontibus ipsis aquam ducere, quàm riuulos consecrari. Vt interim omittā, pactum illud in cautione illa autorū comprehensum nōnullis placere irritū esse atq; nullius momenti, quando non transit in aliud genus contractus quàm emptionis, sicuti placere video Matthæo de Afflict. in tracta. protomisios. §. 3. n. 7. & latius disputat Tiraq. de rectra. lina. ff. r. glo. 2. n. 34. & 37. & Anto. Gom. in comē. tom. 2. c. 2. n. 30. At hæc nostra cautio cū ab ipsis Iuriconsultis apertissimè tradatur, nullam omnino calumniam patitur. Huic verò haud dissimilis erit & illa cautio, si infundi venditione cōuenit, vt donec pecunia omnis persoluetur, emptor fundum certa iūstaq; mercede conductum habeat, iuxta decisionē tex. in. l. Cū venderē. ff. locati. Nam non minus hæc locatum, quàm precarium efficit: perinde enim vt in precario, ita etiam in locato possessio & dominiū penes venditorē perdurabunt, donec pretium vniuersum exolutū fuerit. Verū illā legē, Cū venderē. ac consequenter hanc cautelam sine usurarum labe hodie quoq; procedere probat noſter Couar. cui nihil latuisse videtur in lib. 3. variarum. c. 4. n. 41.

Possessio quare momentanea dicatur, & an sit vna, an duplex. Cap. 9.

**P**ossessio momentanea ideo dicitur, non scilicet quia sit parui momenti, sed quia maximi, aduersus communem. n. 1. & 2. Possessio in iure vna tantū est, ea verò est civilis, nō naturalis. n. 4. Natus

*Naturalis possessio non est propriè possessio, sed detentatio tantum. n. 5.*  
*Naturalis obligatio propriè obligatio non dicitur. n. 6.*  
*Impropria sub definitione non continentur. n. 7.*  
*Quasi possessio dicitur in rebus incorporalibus. ibidem.*  
*Intellectus ad l. Nemo potest. C. de acqui. possess. n. 8.*



**P**ossessionē maximi effectus atq; momenti re esse cū passim omnia iura de monstrant, tum tex. in. §. retinendæ. In ff. de interdicitis. l. Qui destinavit. ff. de rei ven. l. 1. §. huius autem. ff. uti possid. reg. in pari. de reg. iur. in. 6. l. 28. titu. 2. par. 3. Deniq; tantum possessioni tributum est, ut inde iā factum sit tritum vetustate proverbium, beatum esse qui possideat, glo. in. §. si tres. de pace tenend. & eis violat. verbo, requirat. in feud. Porro nostri scriptores per contrarium vno ore. testantur ferè omnes, parui momenti possessionem esse, ut Bart. in. l. Admonendi. num. 55. ff. de iure iur. & tradunt omnes in. l. 1. C. si de momen. possess. fuerit appellatum, & in cap. 1. de causa posse. & propriet. Quod si ab eis rationem quæras, nullo alio quidem clypeo suam sententiam tuebuntur, quàm quod dicant momentaneam possessionem in iure vocari, ut in dicta. l. 1. C. si de momen. possess. fuerit appell. & in c. 1. de causa posse. & propriet. l. Momentaria. C. qui leg. per habent. in iud. l. Momentaria. C. unde vi. Sed mercede hoc autorum argumentum tantum abest, ut eis opituletur, ut (si fallor) per contrarium ex eo sua funditus evertatur opinio. Id si principio forsitan du-

duriusculum videbitur; quæso, non ante repudietis, quàm quale sit vobis explicauero. Sciendum est ergo hoc verbum momenti seu momentanei accipi solere pro re, quæ magnum pondus magnamque vim & vehementem effectum in vtranq; partem habeat. Cicero pro Trebatio: Omnia momenta obseruabimus, neque vllum prætermitemus tui iuuantis & leuandi locum. Idem pro Murena: Et primum Marco Catoni ad certam rationis normam dirigenti & diligentissimè perpendenti momenta officiorum omnium de officio meo respondebo. Idem de finibus: Hæ res nullum habent momentum ad beatam vitam. Liuius ab vrbe condita: Puncto sæpe temporis maximarum rerum momenta verti. In eundem sensum locutus est etiã Imperator in. l. 2. C. quæ sit longa consuetudo. & in. l. Omnes. C. de ferijs. Ergo momentum in iudicijs (mea quidem sententia) nihil aliud est, quàm articulus quidam, in quo plurimum momenti, ponderis atque effectus ad causam vertitur. Id quod etiam nõ obscure significat Quintilia. libro. 3. instit. c. 7. Et laudare (inquit) testem vel contrà, pertinet ad momentũ iudiciorum. Idem lib. 5. c. 10. Ut sunt autè tria tēpora, ita ordo rerũ tribus momentis confertus. Et eodem libro. c. de argumētis: Ad suadendi momenta idem valet tempus. Cicero quoque pro Fonteio: Sin autem in rebus iudicandis non minimam partem ad vnanquamq; rem existimandam, momentũq; suo ponderandam sapientia iudicis tenet. Ergo possessio (si quid iudico) id eo momentanea appellatur, idcircoq; eius causa momentum in iure nominatur. l. 1. C. si de momēta. pos-

fessio. c. r. de caus. poss. Et propriè, non quidem quia  
 parui momenti res sit, vel quod parū apud possesso-  
 rem sit duratura, vt falsò interpretes cōminiscuntur:  
 sed idcirco, quia maximi pōderis ac effectus res sit.  
 vt verè esse iura demonstrant omnia. Ex quo vtiq;  
 non paucas possemus opiniones subuertere passim  
 ab scriptoribus traditas, dū falsò existimant posses-  
 sionis causā esse parui momēti seu præiudicij: quas  
 quidem sciens omisi, partim quia in presenti nō est  
 animus omnia persequi; partim quia satis vilum est  
 caput aperuisse, vnde cetera per se quisq; facilè per-  
 spicere possit. Sed hæc hæctenus. Nunc videamus  
 id, quod secundo loco proposuimus. Possessio ne  
 an sit vna, an duplex. In quo non mediocrem inter  
 Iuris Interpretes dissensionem esse, nemo est qui ig-  
 noret. Azoni enim vnam tantum esse possessionem  
 placuit, et eam naturalem; quæ cū à Iure Ciuili ap-  
 probetur, propter qualitatem illam, quæ à iure ipso  
 accipit, ciuilis dicatur, Iuris nempe Ciuilis approba-  
 tione. Ioanni verò duplex est possessio, ciuilis sci-  
 licet, & naturalis. Et quidem licet non pauci Azo-  
 nis opinioni subscripserunt: verū pro Ioanne ple-  
 riq; omnes calculum tulerūt. vt est videre apud gl.  
 & ceteros Interpretes in. l. i. ff. de adqui. posse. & v-  
 ti postremos ceteros referētes referam, apud Domi-  
 num Couar. in reg. Malæ fidei possessor. in initio se-  
 cundæ partis: & Anto. Gom. in. l. 47. Taur. n. 19. &  
 Didacum Perez in. l. titu. 3. lib. 3. ordin. Ego verò,  
 quoniam magis Iureconsultorum placitis, quam  
 autorum opinionibus obtemperare assuetus sum:  
 quid in hac re sentiā, ingenuè in mediū proferā. E-  
 xisti-

xistimo ergo vtrāq; illā Interpretū opinionē nō fa-  
 tis Iuriscōultorū sentētis cōuenire. Quid putas igitur?  
 Possessionē vnam tantum esse, eā verò non na-  
 turalē, sed ciuile appellari. Naturalem autem posses-  
 sionem, non veram esse possessionem existimo; sed  
 detentationē tantum, quæ in facto scilicet, nō in iu-  
 re consistat. Quam quidem opinionē tanquam Pa-  
 radoxō vulgare nō auderē, nisi eam verissimā cre-  
 derem; & nisi animaduertērem, cuncta nobis Iurif-  
 cōultorū responsa apertissimè suffragari. quorum  
 verba si ante oculos ponamus, nullus erit (vt spero)  
 qui (modò vulgaris opinionis fūco perstringi se nō  
 sinat) hāc nostrā opinionem non probet, & ample-  
 xetur. Enimvero, vt id, quod est potentissimū, pri-  
 mum dicamus: ipsa met personas, quas Iuriconsul-  
 ti varijs in locis tradūt naturaliter possidere; easdē  
 rursus negāt vllā possessionē habere. Vnde manife-  
 stissimè declarāt, naturalē possessionē verā non es-  
 se possessionē. Enim verò naturalem possessionem  
 habere aiunt colonum, & inquilinum, item vsufru-  
 ctuariū; & eum, qui commodatō, deposito, vel  
 precariō accepit. l. Communi diuidendo. §. neque  
 colonus. ff. comm. diuid. Vbi Iuriconsul. in hæc  
 verba inquit. *Neque colono, neque ijs, qui depositum accepe-  
 runt, hoc iudicium competit, quauis naturaliter possideant.*  
 Item lex tertia. §. fin. ff. ad exhib. *sciendum est (in-  
 quit) ad hæc ius possessorem hac a lione agendum, non solum  
 eum, qui ciuilitet, sed et eum, qui naturaliter incum-  
 bat possessioni: denique creditorem, qui pignori rem ac-  
 cepit: ad exhibendum teneri placet: minime cum eo, a-  
 pui quem deposita, vel cui commodata, vel locata res*  
 L 2 est,

Paradoxō (id est) quidam mi-  
 rabile, & contra opinionē  
 omniū. Cice. in proemio  
 paradox. Pli. 2. epistola. lib.  
 9. epist. ad Lu-  
 per. Quint. li.  
 9. cap. 1.

est, *az* potest. Idem ostendit. l. Videamus. §. si possessionem ff. de usu. & l. 2. §. quod vulgo. ff. pro hered. l. Naturaliter. ff. de acqui. posses. Vides quos naturaliter possidere Iuriscōsulti dicant. Modò audi vt, per contrarium, hos eosdem vllam possessionem habere ijdem Iuriscōsulti ex professō negent. Et in primis veniat in mediū tex. in l. Certè. ff. de precario. vbi Iuriscō. ita inquit. *Is, qui rogauit vt precario in fundo moretur, non possidet: sed possessio apud eum, qui concessit remanet: & fructuarius & colonus & inquilinus sunt in prædio, tamen nō possident.* Idem ostendit. l. Officium. ff. de rei vëdicatio. in hæc verba. *Deniq; (ait) ab eo, apud quē res deponit sit, vel commodata, vel qui conduxerit, aut qui legatorum seruandorum causa, vel ventris, vel dotis, vel rei seruandæ nomine in possessione sit, vel cui damni infecti non caueatur, quia hi omnes non possident, vendicari non posse.* Quibus consonat etiam tex. in l. Non solum. §. quod vulgo. ff. de vſucap. his verbis. *Cum ergo hæc recipiuntur in eius persona, qui possessionē habet, quanto magis in colono recipienda sunt, qui neq; viuo neq; mortuo domino vllā possessionē habet.* Idē probat tex. in l. Celsus. §. Iulianus. ff. ad exhibē. Iulianus (inquit) etiā scribit ad exhibendū. teneri eū, qui verū vel legatorum seruandorum causa in possessione sit: sed & eū, qui vſufructus nomine remaneat. *quanuis neq; hic vtiq; possideat.* Huc etiam pertinet. l. Adquiritur. in fine. ff. de acqui. rer. domi. *Vſufructuarius (inquit) vſucapere seruum non potest, primū quidem quia non possidet, sed habet ius vtiendi fruendi; deinde quia scit seruum alienum esse.* Vides ergo quemadmodum colonum, & inquilinum, item vſufructuarium, atq; eum, qui commodatō, deposito, vel precario accepit; quos paulò ante Iuriscōsul-

sulti expressim naturaliter possidere dixerant: vt rursus apertissimis verbis eosdem vllam possessionem habere, non semel, sed subinde negent. Quocirca si præsentī animo superiores leges cōteramus, ac integro iudicio eorum verba sentusq; ponderemus: plusquā manifestissimè apparebit naturalem possessionem verè atq; propriè possessionem non esse, quando illos, quos modò naturalem possessionē habere Iuriscōsulti dixerant, mox rursus eosdē pleno ore possidere negēt. Nisi fortè putadū est, Iuriscōsultos tū viros cōstitissimos, tū doctores scientissimos, vel sibi nō cōstare, vel manca nobis, imò potiùs falsa præcepta tradere. Ergo, si quidē possessio naturalis, propriè non est possessio, peripicuū fit verū esse quod diximus, nihil aliud eā esse, quā detentatio nē quādā, quæ in facto, nō in iure cōsistat. Id quod etiam demonstrat tex. in l. Stipulatio ista habere licere. §. hæc quoq; ff. de verbo. oblig. & l. Quod seruus. ff. de acqui. posses. & Theophilus in. §. idem placet. Inst. de vſufruct. & in. §. item per acceptilationem. quib. mod. toll. oblig. Atq; ex nostrati iure regio idem probare videtur. l. 12. tit. 30. & l. 22. tit. 29. & l. 11. tit. 10. par. 7. Et planè licet superiora iura ita aperta sint, vt rem planissimam faciant; verū id etiam exemplis docere nō erit ingrati. Est ergo huius nostræ opinionis argumēto id, quod de naturali obligatione legimus; nāq; naturalem obligationē propriè obligationē nō esse apertissima iura demonstrāt. l. Fideiussor. §. fideiussor. ff. de fideiuss. tex. in. §. 1. Inst. de oblig. & ibidē notat Eguinarius Varo. Erit quoque huius nostræ opinionis exemplo, quod ficut

homo mortuus verè atq; simpliciter homo dici nō potest: non aliter etiā naturalis ista possessio verè atque simpliciter possessio dici nō potest, sed cū appositione illius dictionis, naturalis; quæ illius quidem impropriatē significet. Sic etiam, vt Galenus inquit, *Statera falsa non est simpliciter statera, sed statera falsa*. Refert illum is, qui neminē non refert; Tiraquelus scilicet in tract. linag. §. 1. glo. 20. n. 12. & similiter deduci possunt exempla ex l. Paulus. ff. de verb. sig. Atq; vt proximū exemplum repetamus, sicuti sub hominis definitione, quæ est animal rationale, hominem mortuum non cōprehendi certum est: non secus etiā sub possessionis definitione naturalis possessio cōprehendi nō potest. quoniā impropria sub definitione nō continetur, Bart. in l. 1. n. 4. ff. de testam. Petrus Andre. in logica legali. li. 1. c. de loco à definitione. Hinc est, quamobrem in possessionis definitione quasi possessio non comprehendatur, vt tradit l. in l. 1. n. 29. ff. de acqu. pos. Adhæc, quod naturalis possessio propriè nō fit possessio, sed tantum detentatio: ipsummet verbū, naturalis, satis significare videtur. idcirco enim naturalis appellatur, quoniā nō fit civilis, neq; à iure civili approbetur, neq; recipiatur, sed tantum in facto, quod naturale est, cōsistat. Sed cedo, quemadmodū quod à iure civili non recipitur, cū de iure civili agamus, in iure propriè esse dici potest. Quod attinet. ff. de reg. iur. proinde cū Iuriscōsulti de hac naturali possessione loquuntur: nunquā vtūtur simpliciter verbo, possessionis; sed semper adiiciūt, naturalē vel corporalē; vt nepe declarēt nō esse propriè possessionē, sed im-

pro-

propriè. Deniq; (ne autoritate defici videamur, atq; vt ab aduersarijs argumēta sumamus) possessionē naturalē pro detentatione & ipsi nonnūquā interpretes veritati repugnare nō valēt accipiūt. gl. in l. Naturaliter. ff. de adq. po. & in l. Et ideo. §. si. verb. incerti. ff. de cōdit. furt. Bart. & Ias. in d. l. Naturaliter. Panor. in c. Ex literis. n. 5. de iure patro. Anto. Go. in l. 45. Taur. n. 8. Qui profectō malè de veritate sunt meriti, deficientes ab ea, quæ sese eis semel demōstrauerat. Itaq; cū naturalis possessio propriè atq; verè nō fit possessio, sed tantū detentatio: relinquitur apertè vnā tantum esse possessionē, eamq; civilē. Atq; ita apud omnes leges vnus tantū possessionis mentio habetur, vnā duntaxat esse possessionē apertè significates; l. 1. & l. 3. §. ex cōtrario. & l. Si re mobilē. ff. de acqu. posses. l. Licet. C. eod. titu. l. 1. §. si autē in corpore. ff. de vi. & vi. arma. Deniq; vnā tantū esse possessionē satis cōvincūt ij, qui Azonis partes sequuntur: quib; ipse quidē cōsentio quatenus aiūt, vnā esse possessionis speciē, dissentio verò quatenus aiūt, eā esse naturale. Vt enim dixim⁹, & sepe dicēdū est: naturalis possessio nō est, propriè possessio, sed detentatio quædā, quæ in facto, nō in iure cōsistat. Quādo verò nostrā opinionē satis cōprobasse videmur, oportet argumētis cōtrarijs satisfaciam⁹. In primis autē refragari videtur. l. 2. §. quod vulgo. ff. pro hære. l. 3. §. si. ff. ad exhi. l. Quod seru. ff. de adq. pos. & si quæ alię sūt, in quib; nō tantū civilis possessionis, sed etiā naturalis mentio habetur. Sed mehercle in prōptu extat refutatio: cōcedo enim plerūq; in iure naturalis possessio, mentio fieri; atqui verū esse affirmo, sepe acci-

L 4 pipro

pro detentatione & possessione impropria; idq; vel ipsummet verbū, naturalis, significare contendo. An nō in iure nō rarō quasi possessio nominatur? & tamen quis inficias ibit, eā nō veram esse possessionem? Ergo ne ab eodē exēplo discedamus, perinde atq; in quasi possessione dictio, quasi, impropriatē significat quantū ad res incorporales: ita etiam illa dictio, naturalis, quantum ad res corporales attinet, impropriatē significat. Atque sicuti quasi possessio nouam possessionis speciem non constituit, quoniam impropria nouam speciem non possunt constituere: æquē etiam ista naturalis possessio aliam diuersam possessionis speciem non constituit. Sed neq; obstitabit *tex. in l. Nemo. C. de acqui. posses. nam præterquam quod illi legi plenē satisfactū est ab illis, qui Azonis opinionem sequuntur; illa lex non ait, duplicem esse possessionem, sed possessionis duplicem esse rationem; aliam, quæ iure consistat; aliam, quæ corpore: id est, aliam iustam, & aliam iniustam. sicuti etiā accipitur in l. Quod seruus. ff. de acqui. posses. & in l. 3. §. genera. ff. eodē ti. Illa verò qualitas iustæ vel iniustæ possessionis diuersam speciem non efficit. l. 3. §. ex contrario. ff. eodē ti. Parui quoq; refert, quod naturalis possessio interdum aliquē in iure producat effectum, respectu scilicet alterius naturalis possessionis seu detentationis. vt in l. 1. §. hoc interdictum. ff. vti possid. & l. Qui precario. ff. de precario. nam & detentationē nonnullos producere effectus & ipsi quoq; doctores cōsentunt. vt est videre cum apud alios, tum apud Anto. Go. in l. 45. Tau. n. 12. Neq; est nouū, quæ facti, nō iuris*

ris sunt, nō nihil in iure producere effectus. l. Si vnus. §. pactus. ne. ff. de pact. Igitur, vt huius loci sit finis, cū naturaliter possidentes nullā possessionē habere Iuriscōsulti testentur; cūmq; dictio, naturalis, sicuti in naturali obligatione, impropriatē significet, ac cū nihil sit omnino in iure, vbi debetur naturalē possessionē verā esse possessionē: proculdubio relinquatur naturalē possessionē non esse verā possessionē, sed detentationē tantum, quæ facto tenus consistat, nō iure. Idq; verum esse sacrarū ipsarum legum volumina, ipsosq; Iuriconsultorū antiquos manes (si fas est) testari intrepidē ausim.

Notantur aliquot partim iudicū, partim aduocatorū circa possessionē lapsus. Cap. 10.

**P**ossessio etiam in ius edito instrumento dari non debet, nisi si tertio possessore prius citato. n. 1.  
 Quæ de facto fiunt, de facto rescindere ius est. n. 2.  
 Is, qui vi ingressus est, an sit relaxandus priusquam possessione vi ad præcedat. n. 3. & 4.  
 Causidici quibus verbis, uti debeant in interdictis. n. 8.  
 Debitore hypothecam cum clausula alienandi distrabente, num tertius possessor sit in causa executionis citandus. n. 10.



**E**D ne statim à possessione discedamus, ac vt ad rem forensem nostrā descendat oratio: placuit hoc loco aliquot tū iudicū, tum aduocatorū errata circa possessionis tractatū notare. Atq; illud in primis

nigro calculo notandum est, solere nonnullos iudices, si forte in ius alicuius tituli instrumentū edatur, puta emptionis: statim emptorem in possessionem rei in instrumento contentam mittere, salvo iure (vt vulgò loquuntur) melioris possessoris. Hoc profectò nō est tam ius reddere, quàm iniuriam facere: magnam enim fenestram patefaciūt iniquis hominibus, vt veros possessores ab eorum possessione deturbent. Sanè tametsi ita in ius edito instrumento possessio dari possit possidente ipso venditore, ne quidē citato, propter clausulas guarétigias (quas vocant) instrumentis ex more describi solitas, ac iuxta ea, quæ notat Paris de Syndi. §. iudex. c. 2. num. 36. & Iaso. in l. Ne quicquā. §. vbi decretum. nu. 7. ff. de offi. Proconf. Bald. in l. fi. C. de edict. diui Hadr. tollendo. Bart. & ceteri in l. A Diuo Pio. §. in venditione. ff. de re iud. at alio extraneo, seu tertio (quem vocat) possidente, possessio ita sine causæ cognitione data nulla erit. Bal. in l. Ob maritorū. C. ne vxor pro marito. ad finē. & in l. Obseruare. §. proficisci. quæst. 24. ff. de offi. Procōl. Iaso. in l. fin. in principio. n. 3. C. de iure. delib. adeò vt neq; eo nomine is, cui possessio data fuerit, à crimine excusetur. l. Meminerint. C. vnde vi. gl. & Bart. in l. Iustè possidet. ff. de acqui. pos. Ias. in l. Iubere cauere. nu. 5. ff. de iuris. d. omn. iud. Quare non iniustè aget superior Magistratus per appellationem fortè, vel per querelam aditus, si possessorem vel summam de sua possessione docentē; etiam aduersario non citato, statim in possessionē restituerit. Bal. in l. Tale pactū. §. qui prouocauit. quæst. 10. ff. de pact. & Panor. in ca. Quia clerici-

clerici. n. 4. de iure patro. Paris de Syndica. §. de captura. c. 3. & latius Hippolyt. confi. 37. n. 11. & Sing. 195. quæ enim facta fiunt, facto rescindere ius est. l. Minor. ff. de euctio. Sed illud tolerabilius, quod non nulli iudices vsurpāt; nolle reum, qui vim admisit, prius à carceribus soluere, quàm desistat à possessione, quā per vim nactus est. Mehercle, licet laudandi sint iudices, qui violentijs reprimēdis excubāt; oportet enim sub bono Principe in pace sua re quisq; fruat: attamē cauendū est interim, ne id cū partis iniuria fiat. Videamus igitur, quibus casibus is iudicū mos sustineri valeat. Et sanè quū quis iudicis decreto in possessionē missus est, aliusq; eū nolit admittere, vel in possessione turbet: iudicis continetur officio, vt extra ordinē iure sue potestatis, atq; si necesse fuerit, etiā per manū militarē eum in possessione tueatur. tex. elegās in l. Si quis missus. ff. ne vis fiat ei qui in possessionē missus est. Amplius, cū quis est in possessione, aliusq; eū nullo iure, nullaq; legitima causa velit à possessione deijcere: iudicis erit partes suas interponere, & possessore cōtra vim inferentē sua iurisdictione protegere. vt tradit Inno. in c. In presentia. de p. bati. & probat Bald. Ias. & ceteri in l. Si super possessione. C. de trāsa. & Balb. de præsc. 4. par. 4. prin. q. 30. n. 3. Frācis. Curt. de sequestris. §. 1. n. 12. & probatur in l. Si seruis. C. quod cū eo. & in l. fi. ff. quod metus causa. Quinimo, si quis notoriē per vim aliū spoliauerit: sicuti defacto processit, ita defacto poterit incōtinēti per iudicē spoliari. Neq; est necesse, vt res iudicij tramites experiatur. ita bellissimè scribit Panor. in dictoc. Quia clerici. n. 4. de iure pa-

pátro. Eius sententiæ videtur consonare. l. 2. tit. 13. li. 4. Recop. Cuiusmodi hinc casibus possit iudex extra ordinem procedere: potest etiã, si opus fuerit, vim inferentem carceribus coercere, donec à vi inferenda desistat. Cæteris verò in casibus non puto posse iudicem iuris ordinem præteruerrere, sed ordinariè tractandã causam esse. Poterit tamẽ adhuc cũ diffinitivè pronútiat, cognita notoria violentia, re sequestro demãdare, nulla etiã appellatione obstantẽ. vt est constitutum in. l. 16. tit. 1. li. 3. Recop. Quãuis enim ea ad prætores regios regnij Callectiã dirigatur: attamẽ & ad alios spectare nihil prohibet, tum quia eius ratio late patet, tum quia cũ ita Imperator vni præfidi scribit, per eõ sequentiã omnibus rescribere videtur, nisi aliqua specialis ratio versetur. Bartu. in. l. Relegatorum. §. Interdicere. ff. de interdict. & releg. l. 1. in. l. 1. n. 7. ff. de const. Princip. Paris de Synd. §. officialis. cap. 1. tit. 14. Poterit etiã litigator, qui vim patitur, sibi cauere proponendo interdictum illud, quod vulgus interim appellat, & non male, quando & Imperator eo nomine in eundem sensum videatur vsus. in. §. 1. si de feudo fuerit contra. inter domin. & agn. De cuius sanè interdicti forensi vsu, qui hodie apud regia prætoria viget, late & eruditè more suo tractat dominus Præsul Couar. practicarũ quæst. c. 17. Sed illud quõq; ius dicẽs obseruare debet, vt in ferendã sententiã ita reũ cõpetẽtib; pœnis viciscatur & puniat: vt & ipse post hac tale quid nõ audeat, & cæteri illius exẽplo cõmonestati, ad vim inferendã tardiores fiãt. Quãuis enim nõ me fugiat, pœnas hoc casu statutas à leg. Si quis in tã tam.

tam. cum similibus, in defuetudinem abijisse, teste Couarru. lib. 3. varia. c. 16. nu. 7. quanquã eas videam innouatas per. l. 3. titu. 13. lib. 4. Recopila. Verũ vt-  
 7 cunq; sit, hic, vt in cæteris criminibus, ita ex personarum conditione, & rerum qualitate diligẽter pœnæ sunt æstimandæ: vt ne quid durius aut remissius statuatur, quã causa postulet. leg. Pædius. §. fin. ff. de incendio, rui. naufrag. leg. Respiciendum. ff. de pœnis. idcircoque neq; in arbitrarijs iudex nimis blandus esse debet, vt tradit Paris de Syndica. §. arbitrium. num. 18. Et quæ nam quæso iustitia est, crimen legis Iuliæ de vi, cum leui quopiam ( vt molles quidam iudices solent) conuicio exæquare? Et quid quæso de Republica futurum est, si audacissimo cuiquam aliorum bona appetere libeat, & quod libeat audeat, & quod audeat faciat, & quod faciat impune ferat? Sed hæc hæctenus de Iudicibus. Nunc de Aduocatis, sed paucis, piget enim facta notare sodalium. Errant igitur non pauci aduocati, qui etfi sequentes consilium Iurisconsulti in. l. Qui destinauit. ff. de rei vèd. intendant quidem interdictis possessoris experiri: haud sciunt tamen verbis ad id accommodatis vti: putant enim per illa verba, peto mihi prædium restitui, possessorium interdictum deduci, quod longè à vero alienũ est: huiusmodi enim verba atque similia ad dominij, non ad possessionis restitutionem pertinet. l. Qui restituere. ff. de rei vèdi. §. sed & si in rem. Inst. de officio iud. itaq; petũt, dũ interdicere putant: oportet igitur ita libelli verba concipere, vt petant sibi prædij possessionem restitui, atque reintegrari. Hunc verò errorem & in iu-  
 8 di-

Verbũ interdicere ad possessionem pertinet: petere ad proprietatem. Quinti. li. br. 3. cap. 8.



dicibus notauit Specula. de Resti. spolia. §. i. num. 7. & in aduocatis Afflictus decis. 77. Vtrum verò commodius sit experiri interdicto vnde vi, an vti possidetis, differit Faber. in. §. retinendæ. Inst. de interd. Mihi autem satis aridet ille agendi modus quo ordinariè nostrates vtuntur: principaliter enim de crimine experiuntur, incidenter verò (vt suo more loquar) proponunt interdictum vti possidetis, & vnde vi conditionaliter, scilicet hoc modo, peto me in possessionem defendi, & si forsan spoliatus fuero, possessionem mihi restitui atque reingrari. Qui sanè agendi modus & si Baldus in. l. Incerti. C. de interd. quæst. 11. scribat, duo remedia possessoria simul cumulari non posse; & disputet id Iaso in. §. nihil commune. nu. 115. attamen sustineri iure videtur ex eo, quod generaliter traditur, ea remedia, quæ simpliciter cumulari non possunt, posse tamen conditionaliter proponi simul. l. i. §. i. ff. quorum lega. Ias. in. l. edita. num. 32. C. de eden. Marant. in Speculo aureo. 4. par. distinct. 1. n. 14. Aequè etià causa nullitatis restitutionis, & appellationis simul proponuntur, ac tractantur secundum Bart. in. l. Si expressim. n. 4. & 9. ff. de appella. Non aliter etiam in integrum restitutione petèda remediū rescindens & rescissorium simul proponi possunt: vt est magis receptum teste Iaso. in. §. rursus. col. fi. Inst. de actio. Eoque iure vt nos testatur Couarr. lib. 1. varia. ca. 4. num. 5. Soleo etiam ipse, cum res postulare videtur, ad finem libelli suspendere petitorium (quod vocant) & testari, vt super possessorio tantum agatur; ne alioqui vtrumque in iudicium deduci videatur: iuxta decisio-

tionem tex. in. c. i. de restit. spolia. & in. c. Cum Ecclesia. de causa posse. & propriet. & tradunt Bart. & cæteri in. §. nihil commune. Et hoc quoq; monet Aretinus in. §. quadrupli. nume. 30. Instit. de Actio. Sed iam huius loci finem faciamus, si tamen priùs illam quotidianam quæstionem subiecerimus. Titius ex instrumento guarentigio petijt executionem in prædium sibi specialiter pro debito obligatum cum clausulis non alienandi de more solitis: at debitor prædium illud antea in Seium transtulerat. Certum est eo casu aduersus tertium possessorem (vt vocant) executionem locum habere, iuxta ea, quæ notat Rodericus Suarez ad leg. Toleti, limitatione. 1. Verùm is tertius possessor non fuit citatus, vt debuit, ad sententiam addictionis, (quàm de remate appellamus) sed tantum debitor. Igitur secundum creditorè pronuntiatum fuit, eiq; prædij data possessio, à qua Seius appellat superiorem iudicem, vel forsan coram eodem iudice de nullitate (vt sic dicam) experitur, quòd dicat citari se debuisse ad additionis sententiam, iuxta ea, quæ notat Bald. in. l. Tale pactum. §. qui prouocauit. ff. de pact. quæstio. 10. & Rodericus Suarez ad legem Toleti, limitatione. 1. Castellus in l. 63. Taur. vers. quòd ad secundum. Est enim generaliter traditum possessionem quamuis iniustam non esse auferendam possessori (modo non notoriè violèto) sine causæ cognitione. c. Licet Episcop. de præb. di. in. 6. Affl. in Constitu. Neap. li. 1. Rubrica. 24. n. 53. Verùm creditor ex diuerso ait, nihil possessoris inter fuisse citatū fuisse, vel non: cū & si citat9 fuisset, nihilominus ab eo possessio auferretur. Itaq; negat posses-

sionem esse nullam, & quando nulla fuerit, denuo ac ex integro sibi dari, siue datam confirmari postulat. Quæro igitur quid statuendum putes? Et magis est, ut possessio sit confirmanda, iuxta ea, quæ notat Angel. Aretin. in. §. quadrupli. n. 46. Inst. de actio. & Ias. in. l. fi. n. 18. C. de edict. Diui. Hadr. & suffragatur l. fi. §. ultimo. ff. quod metus causa. & l. i. C. de fide instrum. & iure hæstæ fiscalis. libro. 10. Ad tollendas verò has ambiguitates consultius erit, ut à principio tertius possessor citetur ad additionis sententiã, & ita ei res iudicata sicuti & debitori nõcebit.

Quemadmodum lex Falcidia, & Senatuscõsultum Trebellianum hodie locũ habeãt, & cum legibus Regijs conueniãt. Cap. II.

**L**egis Falcidiæ, & Senatuscõsulti Trebelliani beneficium a huc iure Regio durat. n. 1.  
 Relictum tertiæ & quintæ partis hereditatis prælegatum est, non institutio. n. 2.  
 Liberi hodie ultra legitimam portionem sibi iure naturæ debitã non possunt beneficio Trebelliani, & Falcidiæ uti. n. 3.



**E**G I S Falcidiæ, & Senatuscõsulti Trebelliani tractatus quàm longè latèq; pateat, nemo est, qui ignoret: sunt etenim iuris volumina ea materia utiq; plena. Hodie verò tã rarò apud nos in usum venire

nire solet, ut fortassis hæc tertiæ partem obsoletam & antiquatam quis putauerit. Quam obrem operæpretium nos facturi esse putauimus; si, quemadmodum istarum legum materia hodie locum habeat, strictim dispiceremus. In primis autem illud constat, hoc beneficium Falcidiæ & Trebelliani approbatum esse septem partito iure, ut apparet ex tit. II. par. 6. Sed neq; quidem est abrogatum per legem Primam. tit. 4. lib. 4. Recopil. ut eruditè offèdit Burgus Pacificus in. l. 3. Faur. n. 959. vbi etiam docet, neque istud sustuli per clausulas nunc testamentis ascribi solitas. Et docet etiam dominus Padilla illustris vir ingenij, Senatorque Regius integerrimus, in. l. Eam, quam. n. 109. C. de fideico. Sed si ita res habet, cur quæso in foro tam rarò hæc quæstio incidit? Id ut intelligas, tractanda est nobis illa quæstio, an ex prælegato seu melioratione tertiæ & quintæ partis possit hæres illarum legum beneficio quartam partem deducere. Enim verò huiusmodi tertiæ & quintæ partis relictum prælegatum est, non institutio, teste Montal. ac Suarez in. l. 9. titu. 5. lib. 3. Forr. & Couar. lib. 2. variarũ. c. 2. n. 2. Ut ergo propositam quæstionem absoluamus, in primis sciendum est non modicam apud Interpretes fuisse controuersiam, utrũ filius hæres institutus, ultra legitimã portionem sibi iure naturæ debitam possit etiã ex legatis & fideicommissis, quæ restituere sibi rogatus, quartam Falcidiæ & Treb. deducere. Et ut verbo dicam, crebrior est sententia distinguentium inter legata & fideicommissa, quæ purè relicta sunt, & ea, quæ ad diem vel sub conditione. Nam priori ca-

si nō posset filius quartam deducere, posteriori potest. Hanc distinctionem probat glos. Bar. & ceteri in l. Papinianus. §. meminisse. ff. de inofficio. testa. & hanc dicit communem opinionem Panor. in c. Raynūtius. num. 25. de testa. & l. in Auth. nouissima. num. 39. C. de in offi. eandem distinctionem in ascendentibus obseruandam esse tradit dominus Præful Cotarr. in dicto. c. Raynūtius. §. ii. num. 6. & hanc distinctionem etiā nostrati Iure Regio procedere tradit Anto. Gom. in l. 3. Taur. n. 80. At Grego. Lop. in l. 12. titu. 8. par. 6. exhibimat iure Regio sine vlla distinctione non posse filium vltra legitimam portionem quartam Trebellianicam seu Falcidia deducere, per tex. in dicta. l. 12. quæ quidem nequaquam illam communem distinctionem recipere videtur. & hanc quoque opinionem leges Regiæ recipere videntur, quippe quæ sine vlla distinctione faciendam esse restitutionē tertiæ & quintæ partis passim decernant. præsertim l. 4. tit. 6. l. 5. Recopil. quocirca ipsi Gregorij opinionem magis accedat. Igitur, vt rē in pauca cōferamus, ita referendum erit: hæredibus extraneis institutis legem Falcidiam & Trebellianum Senatusconf. vim suam apud nos perinde ac olim retinere, neq; vllam immutationē factam: at liberis vel parentibus institutis illa iura nequaquam apud nos hodie locum habere. Quoniam ergo homines sine liberis, vel parentibus decedere rarum est, idcirco Falcidia & Trebellianica quarta minus assidue nunc in foro versantur.

Mi-

Minore matrimonium contrahente, an curatoris officium finiatur. Cap. 12.

**P**er matrimonium curatoris officium non finitur. n. 1.  
Aperitur intellectus. l. 6. tit. 17. par. 7. n. 2.  
In Regum curatoribus peculiaria quædam obseruantur. n. 4.



**N**ON raro cōtingere solet, vt minores curatores habentes matrimonium contrahant; & proinde sæpissimè ex facto quæri solet, an ea de causa curatoris officium finiatur, ita, vt ius sit minori à curatore rationes exigere. Quamobrem placuit id hoc capite breuiter dispicere. Primùm igitur quid iure cōmuni in hac specie receptum, moxq; vtrum regio aliquid immutatum sit, dispiciemus. Et planè, quod ad ius cōmune attinet, non magnam hæc res dubitationem habet: quippe cū non pauca leges istius iuris non obscure significant, curatoris munus propter nuptias à minore contractas non desinere. l. Noneo minus. C. de procura. l. Maritus. C. qui tut. dare pos. §. ijdem rescripserunt. Inst. de excusa. tut. l. Amplissimi. C. eod. tit. l. 3. C. de interdi. matr. l. 2. C. si sapius in integrum resti. fuer. postul. & illic notat Paulus Cast. Cuius quidē rei eā cōstat esse rationē, quia minores idcirco curatores accipiunt, quia suis rebus sufficere nō valēt. l. ff. de mino. Porro quando minor matrimonio iungitur, tantum habet vt ea

ratio cesset, vt longè magis tum locum habeat, cū certum sit eum tunc duplicatis curis sollicitudinibusq; distringi. Ergo cū cura nō finiatur per matrimonium, non rectè desiderat minor, vt curator sibi rationes reddat: cū id demū finito officio locum habeat. l. Rationes. C. de administ. tut. l. Nisi finita. §. fin. ff. de tutel. & ratio. distrah. Quinimo etsi maximè curator vltro rationes redderet, nihilominus curationis oneribus periculisq; obnoxius maneret: nam cū iure ipso cura finita non sit, minoris & curatoris assensus, id efficere non potest. l. 2. C. quando tutor vel curator desinat. Iure ergo communi curam per matrimoniū non finiri constat. Nunc videamus an quicquam regio Iure immutatum sit. Et sanè Didacus Perez Salmantinus, vir cū multis nominibus suspiciendus, tum magister noster nō pœnitendus, in l. 3. tit. 11. lib. 4. ordin. antiqui. in ea est sententia, vt existimet, quantum ad ius regium at tinet, minoris matrimoniū curatoris officium dissoluere, quòd dicat id probari in l. 6. tit. 17. par. 7. Sed pace præceptoris dignissimi dicere liceat, neque in illa lege eius sententia probatur, neque alioqui eam veram esse crediderim: illa enim lex Part. non quidem eum sensum habet, in quem accipientiam putat ipse Didacus. Sed cū dixisset, licere tutori filiam suam in matrimonio pupillo collocare, filio verò suo nō posse curatorem pupillam in vxorem dare: diuersitatis rationem subiunxit, & eā quidem non aliam, quam tradunt glo. & doct. in l. Curatorem. C. de interdicto matrimonio inter pupillam & tuto. illam nempe, quia cū maritus præsit

VXO-

vxori, mulier nullo marito est impedimento, quominus maritus ipse possit à curatore rationes exigere. At è contrario cū mulier viri imperio subiecta sit, periculum quidem erit, ne rationes à curatore exigantur. Nam maritus ob patris reuerentiam nollet, mulier verò mariti metu non audebit. In hunc sanè sensum ac finem spectant illius legis verba. Cū itaq; lex illa nihil dissentiat ab ijs, quæ traduntur in dicta. l. Curatorem. apparet illam legem nihil noui inducere. Adde quòd si illa lex haberet illum sensum, quem ei Didacus ipse tribuit: nequaquam constitueret diuersitatem inter masculum & fœminā, quam constituit. Quæso enim, quæ diuersitatis ratio reddi posset, quamobrem per matrimonium cura finiatur in masculo magis quàm in fœmina? Quinimo tolerabilius id esset in fœmina quàm in masculo: quia nempe maritus curatoris defectū suppleret. Sed quid moror? cū ex ipsomet parti. iure quædā lex hanc sententiam probet, ea est. l. 3. tit. 17. parti. 6. sed fortassis quispiam pro Didaci opinione accipiet tex in l. 8. tit. 1. lib. 5. Recopil. qua cauetur, filium filiamue statim ac matrimonij solennia peregerit, pro emancipato per omnia habendum. Sed meminerit hanc legem ad præsentem quæstionem nihil attingere: non enim par ratio versatur, quando filius emancipatur, quæ quando minor à curatoris potestate exit. Illud enim in ipsius filij cōmodum, hoc in minoris damnum cedit. Deinde hanc nostram sententiā sentit non obscurè Roder. Suarez in l. 9. titu. 11. lib. 1. Fori. §. nota vlteriùs. vbi ait, hucusq; nō yidisse obtentū vt per matrimonium minor habeatur

M 3 tur

tur pro maiori. Deniq; hanc nostrā sententiā aperte probare videtur Grego. Lop. in. leg. 3. titu. 15. par. 2. & illic respondet illius legis decisioni, quæ in Regina curatorem habenti contrarium significare videtur. Nam ait, illic non per matrimonium, sed per pubertatem tutelam desinere. Atque (vt ego sentio) in Regina specialiter illa lex ita statuit. In Regum enim curatoribus peculiaria quadam, neque immerito, recipiuntur. iuxta ea, quæ notat Ias. in. leg. fin. C. de milita. testa. & Corsetus de potestat. Regia. 7. part. quæstio. 18. Quod igitur singulari iure in Regina receptum est, ad privatos porrigere non est civile. leg. Fideicommissaria. §. fideicommissaria. ff. de fideicommiss. liberta. Quod si fortassis alicui duriuscula hæc sententia videbitur, quod dicat magnum incommodum minori manere, propterea quod non habebit minor, vnde oneribus matrimonij & domesticis impensis suppeditare possit: animaduertat, huic incommodo facile mederi posse. cogendus enim erit curator, id postulante minore, vt ei iuxta rei pupillaris vires sumptus & alimenta impartiat. l. Curator. ff. de admini. tuto. l. fi. C. de alim. præst. l. Alimentorum. ff. vbi pupill. educa. debeat. l. 20. titu. 16. par. 6. Quo quidem casu & res summatim tractanda erit, & appellationi locus non dabitur. l. fi. ff. de appella. recip. Pala. Ru. in rep. c. Per vestras. §. 15. n. 5. Auēda. in dictionario. ver. alimentos. Poterit etiam minor sibi consulere, veniā aetatis à Principe impetrādo: nam tum à curatoris potestate liberabitur, & per hoc rationes ab eo exigere poterit. iuxta ea, quæ notantur in titulo. C. de ijs, qui veniam aetatis impetra-

ue-

uerunt. Et id etiā monet Monterosus, siue quisquis is fuit, certè non contemnendus autor, in praxi, tracta. 7. fo. 121.

Ferire vel percutere pactum quare dicatur, ad interpretationem tex. & glos. in. l. 1. ff. de censibus. Cap. 13.

**F**erire, percutere seu pungere foedus ad pacta publica, non ad privata pertinet. n. 2.



**C**CVR S I V S in. l. 1. ff. de pact. & in. l. 1. ff. de censib. cui cæteri quoque assentiuntur, putat ferire vel percutere pactum dici à percussione palmarum: ex cuius sanè dicto fluxisse auguror cōsuetudinem, quam nūc videmus, vt pacifices mutuò sibi manus porrigant. At ego ferire pactum, seu foedus, seu mauius percutere, originē traxisse suspicor ab illo antiquissimo foedere, quod olim in Romæ auspicijs inter Romanos & Albanos fuit percussum: cuius ordinem refert Liuius ab vrbe condita Decade. 1. lib. 1. hisce ferme verbis. *Priusquam* (inquit Liuius) *dimicarēt foedus ictum inter Romanos & Albanos his legibus, vt cuius populi ciues eo certamine vicisset, is alteri populo cum bona pace imperitaret. Foedera alia alijs legibus, cæterum eodem modo omnia fūt: vñ ita factū accepimus, neq; vllius vetustior foederis memoria est. Fecialis Regem Tullum ita rogauit, iube ne me Rex cū Patre patrato populi Albani foedus ferire; iube te Rege, sagmina* (inquit) *te Rex posco; Rex ait, purā tollito. Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit, foedus mul-*

M 4 15-

uisq; id verbis, quæ longo effata carmine non operæ est referre, peragit. Legibus deinde recitatis Fecialis inter cætera inquit, audi Pater patræ populi Albani: illis legibus populus Romanus prior nõ deficiet, si prior defecerit publico cõsilio dolo malo: tu illo die Iupiter populum Romanum sic ferito, vt ego hunc porcũ hodie feriã, tantõq; magis ferito, quãtõ magis potes, pollesq;. Id vbi dixit, porcũ saxo filice percussit. Hæc quoq; fæderis antiquitatẽ refert Macrobius, & Florianus à Cæpo, & Erasmi in Chiliadibus Chiliade. 2. adagio. 33. Igitur ab illa porci percussione pactũ seu cõdus percuti ferireq; originem duxisse arbitror. Et siquid iudico, hoc loquẽdi genus ad publicũ cõdus magis quã ad priuatum pertinet: quoniã in publico, nõ in priuato cõedere solẽnia illa seruabãtur. Et ita illa. l. i. ff. de cõsibus, quæ hac locutione vsa fuit, in cõedere publico loquitur. Sic etiã pãgere cõdus nulla alia ratione dici puto, quã quod more maiorum cantibus & musicis cõdura celebrari solita sint.

#### Litis contestatio cur ita dicatur. Cap. 14.

**F**estus Pompeius ac Tiraquelli etymologia de liti contestatione refutatur. n. 2.  
Litis contestationis definitio. n. 3.



**L**ITIS contestationem inter iudiciales actus præcipuũ esse, lips est & tonforibus notũ: tantum enim à doctoribus ei tributũ est, vt illam & lapidem angularem, & totius Iudicij fundamentum appel-

pellare non dubitent. Quamobrem verò eo nomine vtatur fortassis rationem inuenire nõ cuius erit facile. Cũ enim in lite contestanda ferẽ semper negemus, magis ei inficiationis verbũ, quã cõtestationis cõuenire videbatur. Proin hoc in presenti disquirere fuit cordi, nõ sine nostrorũ Iuricõsultorũ exemplo, qui subinde (vt Stoicos solitos refert Cicero. officiorum l. i.) studiose exquirunt vnde verba sint ducta. Enim verò et si verborum etymologia (vt ait Valla) plerũq; sit fallax, & in primis, nisi fideli fundamento nitatur, simulã attamen quõtiã interpretatione res, de qua quæritur, eget; aliquando (vt Quintilian. inquit) vsũ necessarium habet. Igitur Festus Pompeius rerum antiquarum peritissimus in ea fuit sententia, vt existimaret liti contestationẽ hinc dici, quoniam ordinato iudicio vtraque pars dicere solebat, testes estote. Cuius quidem dictum nonnullis rationibus confirmat Tiraquellus de retract. l. i. inag. §. 15. glo. 2. num. 2. Porrò quantũ momenti hæc ratio habeat, quantumq; iuris rationi, & eruditissimi cuiusq; ingenio satisfaciãt: Tiraquellus ipse secum, suoq; cũ Festo cõsultet. Ipse me hercle alia priori, & iuri magis consona ratione nomen hoc appellatum fuisse crediderim. idq; paucis declarabo. Sciendũ est ergo in lite peragenda illum veteres ordinẽ tenuisse, vt primũ quidem de Fori, personarumque præscriptionibus ageretur. l. fin. C. de excep. c. Inter monasterium. de re iudica. Deinde postquam super istis exceptionibus concludatum esset, reusq; superatus iudicium subterfugere nõ valeret: tũ cum iã de iure principali esset agendum,

dū erat sed ēne, vt actor attestaretur leuissimā intē-  
tionem suā improbatūrum, & e contrā reus contesta-  
batur exceptiones suas probaturūrum, postquā actor  
intentionem suā verā esse docuisset. Ordo hic iu-  
dicij manifestē apparet in l. Præscriptio. & l. 1.  
Si quidem. C. de excep. leg. sumptor. C. de præscrip.  
longi temp. & in l. Exceptionē. C. de probatio. Qua-  
re verò hic mos hodie exoleuerit, tradit Spēcul. ti-  
tulus de teste. §. qualiter. n. 20. Ex illa igitur actoris ac-  
rei cōtestatione & sic eam illæ superiores leges eam  
appellat dicta prōmōdū dubio est litis cōtestatio, sic  
etiam nōs, illius antiquioris instar, in hęc conte-  
stāda testam. solonius, allegat nos exceptiones ac de-  
fensionēs nostras intra viginti dies à lege Regia de-  
finitos. Secundum hęc igitur recte litis cōtestatio;  
iudicij exordium & fundamentum dicitur. vt in c.  
Ex parte ad v. & hoc sign. & c. Super. quæstionum. §.  
intentionis de officio ad leg. & l. 3. tit. 10. par. 3. Et re-  
ctē quoque ipsa à doctoribus definitur, Principalis  
negotij apud cōpetentem iudicem facta narratio.  
Post hac enim, non antea, iudex de iure principali-  
ter cognoscere incipiebāt, vt ait Imperator in l. 1.  
C. de litis contesta.

Altius tollendi seruitus, cū ita dicatur.

Cap. 15.

**C**omunis interpretum ratio, quare seruitus alti-  
us dicatur, exploditur, nouaque vera sufficitur. n. 1.  
Seruitutes à prædio dominante nomen accipiunt. n. 2.  
L. fin. tit. 32. par. 3. commendatur. n. 3.

So



**S**OLET apud Interpretes fre-  
quenter disputari, quare seruitus  
alti-  
us tollendi, sic nominetur; cū  
magis videatur esse libertas, quā  
seruitus; quippe quā iure ipso vni-  
cuique liceat alti-  
us & ad eælum vs-  
que tollere. l. Altius. C. de serui. & aqua. Et vario qui-  
dem modo scriptores hanc difficultatem profliga-  
re conantur. Alijs enim placet per hanc seruitutem  
induci, vt teneatur vicinus, qui seruitutē debet, ve-  
lit, nolit, ædes suas alti-  
us tollere; quia fortē id inte-  
rest vicini, cui seruitus debetur; putāne ædes suæ ve-  
torum iniuria infestentur; vel quia fortassis eo mo-  
do plenius lumen recipiant. Ita placet glos. & Bart.  
in l. 1. ff. de serui. vrb. præd. quorum opinionē com-  
munem testatur Capola de serui. vrb. præd. cap. 26.  
Alij verò aiunt, idcirco alti-  
us tollendi seruitutem  
ita appellari, quia forsan municipali lege (quod sta-  
tutum vocant) cautum erat, neminem posse inuito  
vicino ædes suas nisi vsque ad constitutam altitudi-  
nem tollere. vt est apud Florentiam. Et hanc quoque  
opinionem testantur communem Gomezius, & Ia-  
so. in §. æquè si agat. Insti. de actio. Mihi verò ne-  
quaquam Iurisperitorum scriptis hęc doctorum  
exempla conuenire videntur; eamque Iurisperito-  
rum non fuisse mētē citra negotium intelliget  
quisquis paulò attentius illarum verba contempla-  
tus fuerit. Quid est igitur? puto quidem idcirco  
seruitutem alti-  
us tollendi dici, quia ex ea induca-  
tur, vt vicinus non possit alti-  
us tollere, quā serui-  
tutis conditione & lege conuentū fuerit: quod alio  
qui

qui iure cōmuni sibi licebat. Quo pacto id quæso?  
 Quia cū de hac seruitute agimus, hæc verba altiùs  
 tollere accipiuntur cōparatiuè respectu vicini, qui  
 seruitutē debet. Id est, significant vt vicinus, cui ser-  
 uit' debetur, possit altiùs tollere, quā vicin', qui ser-  
 uitutē debet. Ergo, si vicin' nō potest tollere ædes  
 suas tā altè, quā ego, propter seruitutē, quā debet:  
 iā manifestè deducitur ex hac seruitute altiùs tollēdi  
 effici, vt vicin', qui seruitutē debet, nō possit altiùs  
 tollere. Proin rectè ex his verbis seruitus inducitur;  
 ac rectè is, cui seruitus debetur, intendit ius sibi esse  
 inuito aduersario ædes suas altiùs tollere. Atq; è cō-  
 trario is, qui seruitutem non debet, rectè negat ius  
 non esse aduersario altiùs suas ædes tollendi: hisce  
 enim verbis actiones negatoria & confessoria con-  
 cipiuntur. vt est expressum in. §. æquè si agat. Inst. de  
 actio. Quod autem dicitur in dicta. l. Altiùs. C. de  
 serui. vnicuiq; licere altiùs tollere: illa verba non ef-  
 feruntur cōparatiuè, neq; comparatiuè accipi pos-  
 sunt. quo casu seruitutem non inducūt. Porro id cir-  
 co dicitur seruitus altiùs tollendi, & nō dicitur nō  
 altiùs tollendi, quia seruitutes nomen trahunt à præ-  
 dio dominante. l. si. ff. de serui. leg. 1. §. Calsius quo-  
 que. ff. de aqua plu. arcend. Capola de serui. vrba.  
 præd. c. ii. num. 10. Quapropter hæc verba altiùs nō  
 tollendi non bene quadrarent ei, cui seruitus debe-  
 tur. Circa hanc verò seruitutem altiùs tollendi est  
 memorię fideli mandanda. l. si. tit. 32. part. 3. qua ge-  
 neraliter constitutum est, eatenus cuique ius esse  
 ædes suas altiùs tollendi, quatenus efficiat, vt vicini  
 ædes non valde nimis propalentur. Quod quidē iu-  
 re

re communi expressim definitum non erat, sicuti  
 ibidem notat Greg. Lop. Proin obliuiscendum nō  
 erit. Poteris tamen ad illius intelligentiā addere A-  
 lex. confi. 9. vol. 6.

Clericus filiam spuriam dotare quemadmo-  
 dum possit. Cap. 16.

**C**lericus in filia sua spuria dotanda non potest quintam  
 bonorum partem transgredi. n. 1.  
 Donatio à sacero generosa & à fraudis argui minime potest.

n. 2.

C. 1. de testamentis explanatur. c. 3.

Ne potibus suis ex filio spurio clericus relinquere quidquid ve-  
 lit, lege non prohibetur. n. 4.



**P**ALAM est clericum filia suæ  
 spuria ultra quincuncem, siue (vt a-  
 pertius loquar) ultra quintam bono-  
 rum partē dotis nomine dare non  
 posse: sicuti tradunt omnes in. l. 10.  
 Tau. & Duenas regula. 377. amplia. 3. Verūm cūm,  
 vt hodie dotes sint immoderate, contingat huius-  
 modi quincuncem ad filias dotandas non sufficere:  
 quæri identidem solet, quænam cautio tenenda sit,  
 vt ultra quincuncem filia dos à patre clerico con-  
 stitui possit. Quod hic à nobis dispiciendum est.  
 Et ne morer, ita caueri posse videtur, vt quinta pars  
 bonorum dotis nomine filia detur, reliquum verò,  
 quod in dotem dari conuenit, donationis titulo ge-  
 nero concedatur. Nam tametsi Host. Ioa. Andr. &

Car-



Cardinalis in c. 1. de testamen. existimauerint hoc genus contractus fraudis suspicione argui posse: ego uero secutus Anto. Gome. in l. 9. Tauri. num. 17. & Dueñ. reg. 366. in fine, proprius ueriusque esse existimo talem donationem genero factam validam esse, tum ex tex. in l. fin. ff. de his, quibus ut indig. *Si genero* (inquit) *socerum heredem reliquerit, taciti fideicommissi suspicionem sola ratio paternæ affectionis non admittit* Quod ergo in genero definitur, idem in socero recipiendū est: cum (ut vulgò aiunt) relatiuorum eadem sit disciplina: tum ex tex. in capi. 1. de testa. ubi episcopus nūm suam heredem instituit; neq; tamē fraudis suspicione talis institutio uitiatur. Est igitur ille tex. 3 contra Host. & eius fautores: sicuti etiam memoria repeto dictasse eruditissimum doctorem Sandoualem (quem nuper nobis mortem abruptuisse doleo) dum pro rostris illum tex. interpretaretur. Nā quod ipsi aiunt, vel potius diuinant, illic filium episcopi vel legitimum vel fato functum esse: non sit uerisimile, cum legitimus quisquam in dubio, neq; mortuus esse præsumatur. Sed et quod ipse Hostiensis inquit, eo casu propter affinitatis coniunctionem fraudem præsumendam: facile quidem refellitur ex illa lege finali. ff. de his, quibus ut indig. ubi nominatum contrarium definitur; ac ex ijs, quæ notat Bart. confi. 194. Hæc igitur cautio non tam legibus, quam ipsi clerico captiosa uidetur. Cur ita? quia fortè si filia sine liberis discesserit: clericus bona genero data simul cum filia perdet, nisi fortè pactione comprehensum fuerit ut filia sine liberis defuncta ad ipsum bona reuertantur. Sed tum fortè aper

aperta legi fraus fit: & proin sequenda esset Hostiē. opi. Videamus igitur quemadmodum cautiùs clerico consulere possimus. Et puto hoc pacto, ut bona, quæ in dotem danda sunt, non proprietatis, sed usus fructus iure ipsi filia spuria quoad uixerit, concedantur ea lege, ut post ipsius mortem ad ipsius liberos, id est, clerici nepotes bona pleno iure reuertantur: nam eo casu non facilè usus fructus æstimatio quincuncis quantitatem egredietur, ac proinde legitima erit dotis constitutio. Filia autem liberis, id est, clerici nepotibus clericus expressim rectè relinquit, in eorumq; fauorem rectè fidei committere potest. ut tradunt omnes in l. fi. C. de natura lib. & Suarez in l. 1. titu. 6. lib. 3. Fori. Anto. Gom. & Dueñas locis supra citatis. Quod si casu filia sine liberis discesserit: clericus bona non perdet, cum usus fructus ad proprietatem redeat. Hanc cautionē acceptam ferre debemus Bartulo nostro in l. fi. ff. de his, quibus ut indig. Quem, ut cæteros taceam, sequitur Suarez in dicta l. 1. titu. 6. lib. 3. Fori. §. prædicta. de naturalium successione. Quemadmodum uero intelligi possit, an usus fructus æstimatio quincuncis quantitatem excedat: legendus est idem Suarez in l. Quoniam in prioribus. amplia. 3. num. 7. De cæteris uero cautelis, quæ ad filios spurios instituendos tradi solent: lege Cæpol. cautel. 38. & Ferræ. caute. 41. Ludou. de Sardis in tractat. legitim. ad calcem operis, Altia. in l. Speciosas. ff. de uerbo. signi. Corrasium in l. Fœminæ. ff. de Sena. Tiraquel. de nobilitate. c. 18. Anton. Gome. in l. 9. Tauri.

De

De poena Palinodiae cantandae ad legem secundam, tit. 10. lib. 8. Recopilationis. Cap. 17.

**C**ornutus quare dicatur. n. 2.  
Cuculi & curuca appellatione cur mocha maritus notetur. n. 2. & 3.

Boni viri appellatione maligna hominum interpretatione etiam mocha maritus significari solet. n. 4.

Quid si dixerit, ego non sum proditor. n. 5.

Similia, quae accipi debent quinque illis lege expressis. n. 6.

Falsi maledictum quinario numero aggregandum. n. 7.

Si quis Gallici morbi notetur, palinodiae poena locum non esse. n. 8.

Nobiles Clericiq; Palinodiae poena non mulentur. n. 9.

Quid si mulier fuerit nobilis, maritus vero plebeius. n. 10.

Palinodiae poena locum non habet, reo verum dixisse docete. n. 11.

Palinodiae poena locum non habet, cum quis laceffit iniuriam retaliaverit. n. 12.

Palinodia an sit locus conuitio in absentem dicto. n. 14.

Intellectus. l. fi. tit. 6. par. 7. n. 15.

Palinodiae poena gravissima, proin huius criminis reus etiam datis fideiusoribus non est carcere relaxandus. n. 16.



**X**TAT apud nos lex Regia, quae quinque maledictorum iniuriam Palinodiae cantandae poena ulciscitur: ea est. l. 2. tit. 10. lib. 8. Recopila. Quae ut noua quidem, ita non obscura definitione non paucas priorum legum difficultates sustulit. Illa vero quinque conuitia nominatim ipsa lege

lege comprehensa haec sunt. Elephantiacus siue leprosus, Paticus siue Sodomita, Hereticus, Proditor, Cornutus, & mulieri nuptae Meretrix, quod cum proximo connumeratur. Quoniam vero istius legis materia in foro assidua est: fuit cordi pauca ad illius intelligentiam in praesenti afferre. Illud autem in primis palam est, nihil interesse an quis illis verbis nominatim ipsa lege comprehensus usus fuerit, vel id alijs tantumdem efficientibus significauerit. Nam (ut vulgo aiunt) nihil interest quid ex aequipollentibus fiat. c. In his. de verb. sig. ut puta, si quem ut cornutum vocem, cucurbitam appellem: sicuti glo. in l. Si inimicitiae. ff. de his, quib. ut indig. Cornutum vero (ut id obiter dicam) appellari existimo, quasi sit cor de nudus, qui de decus tale patiatur. Nam, ut Salomon inquit, Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum; qui autem tenet adulteram, stultus est & insipiens. Et hanc quidem etymologiam (ne aliena pro nostris venditemus) excepisse mihi me ab eruditissimo doctore Moya, nunc Iuris Pontificij Salamaticae primario professore: sub quo nos Iurisprudentiae tyrocinia fecisse neque piget, neque pigebit vnquam. Idem erit, si cuculum appellem, ut hodie est in usu, & scribit Boerius consilio. 4. nu. 15. Vel si eum curucam vocem, ut Iuuenalis Satyra sexta, Tutibi nunc (inquit) curuca places, fletumq; labellis exorbes.

Et verius quidem, nam de cuculo & curuca Aristoteli lib. 6. de Animalibus. c. 7. in haec verba inquit. Pullos cuculi nemo se ait vidisse, parit tamen, verum non in nido, quem ipse fecerit, sed interdum in nidis minorum avium: &

N OVA,

Prouer. c. 18.

*oua, quæ aliena reperit, excedit. Maxime verò nidus palumbi  
petit; quorum & ipsorum oua esu absumens, sua relinquit. Cu-  
ruca quoq; in nilo parit, fouet illa, & excludit, & educat.*

Hactenus Aristo. Ex cuius sanè verbis satis apparet  
cuculi nomen adultero, curuca verò patienti seu  
cornuto (quem vocant) magis quadrare. Quod non  
eò quidem pertinet, vt velimus non esse huic legi lo-  
cum, si quis alium cuculum appellauerit: erit enim,  
cùm communis sermonis significatio sit spectāda.  
Sed eò dicimus, vt vulgi errorem et si inueteratum  
dedoceamus. Curuca autem (vt reor) est auis haud  
dissimilis ei, quàm vulgo Coruxam à Latino verbo  
non multùm discordantes appellamus: ea in occipi-  
tio plumarum cornuscula quædam arrigere solet,  
& inde cornuti maledictum originem veriùs traxit  
se auguror. Ac de cuculo & curuca vide etiam Eras-  
mum adagio. 171. Ad istud etiam conuittium pertine-  
bit, si quis iniuriandi gratia alium bonum virũ ap-  
pelauerit: nam & ea appellatione malignè interpre-  
tata cornutus significari solet: Neuzanus in Sylua-  
nup. lib. 4. num. 76. & Boërius alios referens cons. 4.  
num. 17. Quod malitiosa nimis hominũ interpreta-  
tione fit: apud Iurisconsultos enim diuersam hoc  
verbum si gnificatione habet: nonnunquam enim  
pro Iudice accipitur. l. Continuus. §. cùm ita. ff. de  
verbo. oblig. nonnunquam pro Arbitro. l. Societa-  
tem. §. arbitrorum. ff. pro socio. Interdum pro eo vi-  
rò, qui mortem potiùs, quàm de decoris quicquam  
pati se malit. vt in. l. Isti quidè. ff. quod metus causa  
Sic etiam & philosophi bonum virũ accipiunt eum,  
qui omnibus virtutis numeris præditus sit. vt est vi-  
de

derè apud Cicero. offi. li. 3. Atque vtinam sua signi-  
ficationis tot bonos viros haberet philosophi, quot  
sua popularibus habere cõtigit: fortassis enim nõ  
tam malè cum virtute actum esset. Atque (vt in alio  
conuittio exempla ponamus) idem erit, si, vt quem  
proditiõis suggillum, Gallenonè eum appellem:  
vel si dixerim, ego non sum proditor. Specula. titu.  
de aduocato. §. iam nunc. n. 3. Boërius plures, in ean-  
dem sententiam referens cõl. 4. n. 17. tametsi Anto.  
Gom. in cõmen. titu. de iniuria. c. 6. tom. 3. subtilibus  
quibusdam argumentis, neq; tanto doctore dignis  
contrarium sentiat. Sic erit, si quis alium vt cinedũ  
sive Sodomitam appellet, vtatur dicitur illo, quo  
Thraso ille Terentianus Rhodium adolescẽtem no-  
tauit: Tute lepus es, & pulpamentum quaris. Vel si  
vocauerit eum Hiennam: de qua Ouidius, in non. 1.  
Et que modo formina tergo  
Passa marem est, nunc esse marem miremur Hiennam.  
Non solũ verò hæc lex Regia illa quinq; maledicta  
recatãda iubet: sed etiã alia his similia. Similia verò  
quemadmodũ hîc accipiẽda sint videamus. & Bal-  
quidè in. l. Neq; ff. de legibus. tam doctè, quàm phi-  
losophicè scribit, illa similia dici, quorũ sunt diuer-  
si termini, vna verò ratio seu qualitas. Alij verò ali-  
ter atq; aliter simile accipere solèt: vt est videre apud  
Interpretes in c. Capitulũ. de rescrip. & Anto. Mas-  
sam de exercita. Iuris per. li. 1. n. 32. Dd. quoq; in. l. Gal-  
lus. §. & quid si tantũ. ff. de libet. & posth. At lex ter-  
tia, que hanc, quã interpretamur, subsequitur: simi-  
lia videtur maledicta accipere, quotquot illis quin-  
que minora nõ fuerint. Igitur quotquot illis quin-  
de

aut æqualia, aut maiora fuerint: similia dicenda sunt, & ad hanc cantandæ palinodiæ pœnam pertinere. Sed operæ erit vt exempla quæramus: par igitur simileq; erit conuitium; si quis aleuosus appelletur; nam tale crimen perduellioni exæquatur. l. 2. ad calcem, titu. 2. par. 7. Idem erit probandum, si quâ strigiam seu lamiam appellaueris: ferè enim hoc crimè sine hæresi vel apostasia non admittitur. Grilladus tit. de sortilegijs. Syluest. ver. hæresis. 2. dominus præsul Simancas catho. institu. titu. 37. Simile quoq; dicendum est, si tabellionem vel testem; falsarium appellaueris: inter grauissima enim crimina hoc crimen numeratur: estq; proditori multum affinis. teste Grego. in titu. 7. par. 7. in summa. Idem puto, si lenam nuptam appellaueris: etenim lenocinium facere non minus est, quàm corpore quæstum exercere. l. Palam. §. non solum. ff. de ritu nuptiarum. Diuersum erit, si malum Christianum quem appellauero: inter hæreticos enim, & malos Christianos longè interest: illi enim falsa credunt; hi verò vera credentes, non viuunt ita, vt credunt. secundum Augustinum super Matthaum. c. 3. Sed neq; idè erit, si quis morbi Gallici notetur, vel veriùs Indici: vulgò bubas vocamus, à bubo morbo inguinali; qui huius morbi comes esse solet. Enim verò hæc tabes adeò hodie (quæ nostra sunt peccata) longè latè que serpsit, vt magno dedecori iam non habeatur. Quid si Mauridem sine Moriscum, vel Iudæum quempiam appellauero? Et non puto quod ista conuitia pertineat, quia ea appellatione communi loquendi vsu nō sectâ seu hæresim, sed originè gētis significare solemus.

mus. Et de Iudæo quidem ita tradit Dida. Perez. in. l. 9. titu. 1. lib. 1. antiq. ordi. Tametsi dominus Covarru. li. 1. varia. c. 11. num. 2. aliud praxim recipere testetur. Sed eam praxim ipse & inhumanam sanè, & Iuri non sat consonam iudico; cùm istis conuitijs specialiter lex pœnam præscribat, scilicet viginti millia nummum. vt in. l. 2. tit. 10. lib. 8. Recopilat. Ergo si Maurum appellauerit, diuersa causa erit, quia ea appellatione non modo gentis originem, sed etiam sectam significare solemus; ac vulgus loquendo mauros à moriscis discernit. Hactenus de istius legis ampliationibus. Modò de exceptionibus seu limitationibus accipite. Et primùm hæc lex exceptit ab hac recatationis pœna nobiles, qui vulgò hidalgos appellamur. Id autem accipiendum puto, etiam si nobilis aduersus nobile tale conuitium dixerit. nam licet alioqui priuilegiatus (vt vulgaribus verbis vtar) non vtatur priuilegio aduersus pariter priuilegiatum: id tamen non habet locum, quādo æquè priuilegium habens certet de damno vitando. l. Verū. §. si. ff. de minori. Bat. in auth. quas actiones. C. de sacrosanct. Eccl. Ang. in. §. rursus. n. 2. Inst. de actio. Ergo cùm hic nobilis certet de damno vitando, etiam aduersus alium nobilem hoc priuilegio fungetur: eoque iure vtimur. Sed illud admonendi sumus, non desiderari in hac causa tam plenam nobilitatis probationem, sicuti cùm principaliter de ipsa nobilitate tractatur, sed sat erit nobilitatem per communem opinionem seu estimationem probari. secundum Otaloram de nobilita. 3. part. c. 8. num. 11. Quid verò si mulier, cui iniuria dicta est, fuerit nobilis, maritus

verò plebeius? & constat mariti conditione spectam  
dam esse. l. Mulieres. C. de incol. lib. 10. leg. 7. titu. 2.  
par. 4. l. 9. tit. 11. lib. 2. Recopil. Quando verò nobili-  
bus hoc priuilegium datur, consequenter & clericis  
dicendum est competere: iuxta enim vtrisque iure  
fauetur. & sicuti illi ignominiosis pœnis afficiendi  
non sunt. l. 8. tit. 31. par. 7. ita neq; hi. ca. Contingit. 1.  
de senten. excom. & ita placet Dida. Pere. in. l. 9. tit.  
1. lib. 1. antiq. ordin. cui magis accedo, quàm Bernar-  
do Diaz, qui cōtrarium scripsit in sua praxi, ca. 60.  
Deinde hanc palinodia pœnam non putem habe-  
re locum, quando is, qui iniuriam intulit, docuerit  
verum esse maledictum: sicuti est autor Couarruu.  
lib. 1. varia. ca. 11. num. 6. qui id indistinctè intelligit,  
id est, siue Reipublicæ inter sit crimè rescire, vel nō:  
cui magis accedo, quam Anton. Gome. in hoc di-  
stinguenti in commen. tomo. 3. cap. 6. num. 2. Enim  
verò à tota ratione abhorret, vt qui verum dixerit,  
veritatem modò recantet, & mendaciū affirmet.  
Et hæc nostra sententia videtur probari in. l. 46. tit.  
2. part. 3. & apertius in. l. fin. titu. 6. & in. l. 1. titu. 9. par.  
7. Erit tamen is secundum dominum Couarru. ex-  
traordinaria quadam pœna mulctandus. An verò  
hæc sententia admittenda sit, quādo quis cūe amue,  
qui quæue matrimonio iunctus iunctaue sit, cornu-  
tum vel meretricem appellauerit, id est, an audien-  
dus sit, si velit probare se veram dixisse: tractat Gre-  
go. noster in leg. 1. tit. 9. par. 7. in gl. magna. tu ipsum  
consulito. Prætercā hanc palinodia cantandæ pœ-  
nam non puto locum habere, quando quis aliqua ini-  
uria prius laesisset, statim par pari referens in con-

vi.

uitoriorem, aliquot ex illis quinque maledictis reta-  
liauerit. Sed erit eò casu (mea quidem sententia) ad  
mitiorem pœnam recurrendum: ignoscendum est  
enim ei (vt Vlpianus scribit) qui se voluit vlcisci pro  
uocatus. l. Qui cum natu. §. si libertus. ff. de bonis li-  
ber. Estq; deinde generaliter traditum, quamlibet  
honestam delinquendi causam pœnā ordinariam  
extenuare: Bald. in. lege, Et si feuerior. C. de ijs, qui  
notan. infam. Bart. in. leg. Quid ergo, §. pœ-  
na grauior. ff. eodem titu. Sylua nup. lib. 1. §. 2. nu-  
mero. 94. Refert plures dominus d. Redin, vir tam  
iuris peritissimus quàm iure dicundo strenuissi-  
mus, in suo eleganti commentario de Maieffa. Prin-  
cipum. §. sed etiam. num. 80. Pro in receptum est, si  
quis prius laesisset iniuria quapiam etiam verbo  
illata, iniuriam facientem enecauerit: non esse eum  
pœna capitis plectendum, sed benignius in eum  
animaduertendum esse: Boërius decis. 169. Couar-  
ruuias libr. 2. variar. capit. 9. numer. 2. Anton. Go-  
mez. in commen. tomo. 3. capit. 3. numer. 24. Eò-  
dem pertinet illa frequens doctorum opinio scri-  
bentium. tametsi in delictis calor iracundiæ om-  
nino excusationem non præstet: esse tamen in  
causa vt pœna ordinaria non inferatur. vt est vi-  
dere apud Dueñ. regula. 292. alios plures reci-  
tantem. Denum accedit his, quæ ferè in simili spe-  
cie tradit Hermanus de Vare de formandis libel-  
lis, libello. 97. Quid verò, si quem hominem  
duplicis faciei appellaueris? An sit locus palinodia  
cantandæ? Et non putem, quia his verbis non  
ita manifestè proditor significatur; ac in pœnis

N 4 be

benignior est interpretatio facienda. Quid ergo, si filium meretricis? & interesse arbitror, an mater viuat nuptaq; sit; & erit locus palinodiæ, ea scilicet in iuriarum agente: an non sit viua vel nupta, & nõ erit locus. Sed illud omnino tractandum erit, vtrum <sup>14</sup> hæc palinodiæ pœna procedat, quãdo aduersus absentem maledictum profertur. In qua re distinguit dominus antistes Couarru. lib. 1. varia. c. 11. num. 4. Ipse tamen & hoc casu palinodiæ locum esse arbitrator ex tex. in. l. Item apud Labeonem. §. cõuitium. ff. de iniurijs. l. 1. tit. 9. par. 7. quibus definitur, nihil interesse an conuitium in præsentem vel absentem dicatur. Illud tamen meminisse debemus; vt id procedat, oportere vt maledictum sit cum vociferatione & in cœtu, id est, corã pluribus dictũ: nam aliàs non dicitur propriè conuitium, sed infamandi causa dictum. l. Item apud Labeonem. §. conuitium. ff. de iniurijs. & dicta. l. 1. tit. 9. par. 7. Illius verò legis verba, quia notatu digna sunt, hinc subiicienda putauit. *Ex his apparet (inquit Vlpianus) non omne maledictum conui-  
rium esse, sed illud solum, quod cũ vociferatione dictũ est: quod autem non in cœtu neq; cum vociferatione dicitur, cõuitium nõ  
propriè dicitur, sed infamandi causa dictum.* Ergo si maledictum nõ in cœtu neq; cum vociferatione sit dictũ, <sup>15</sup> siue coram vel clam sit dictum, id est, siue in præsentia siue in absentia dicatur: nõ erit locus palinodiæ pœnæ. sed tũc habebit locum pœna alterũ infamia iugillantantis. Quæ pœna verò hæc sit, definit. l. fin. titu. 6. part. 7. & ita ex illo. §. cõuitium. illa Par. lex est concilianda cum hac lege Recopilationis, quam interpretamur: & est vera facillimaq; conciliatio: ta-  
metfi

metfi Grego. Lop. illarum legum paraphrastra magnum negotiũ fecerint, & minũs rectè aliter eas accipiendas scripserit. Ergo cùm in absentia aliquod ex istis quinq; conuitijs dicitur, considerandum est an cum vociferatione & in cœtu sit dictum; & erit palinodiæ pœnæ: an non sit dictum in cœtu neque cum vociferatione, & non erit locus pœnæ palinodiæ cantandæ. Et hæc verior mihi distinctio videtur & clarior, quàm illa domini Couarruu. tametsi non lõgè ab ea discedat. Illud ad extremũ dixerim, hanc palinodiæ pœnam & seueram, & perquam duram esse, si quidem is, qui palinodiã cantat, toto exautoratur honore, & quãtuvis dignitate præfulgeat, in ordinem redigitur. vt ostedit. l. 8. ti. 3. par. 7. & l. 2. <sup>16</sup> ti. 5. par. 7. & l. 2. ti. 8. Cõpil. Proinde huius criminis reus, etiã datis fideiussoribus nõ est carcere relaxadũ. vti expressim tradit Marãt. in Specul. aureo. 4. par. n. 10. & eo iure vtimur. Quibus verò verbis hoc casu palinodiam canens iniuriam recantare debeat, docet. Greg. Lop. in. l. 8. ti. 3. par. 7. verbo. mintio. & in leg. 25. tit. 18. par. 2. Sed an is, qui iniuriam fecit, teneatur alioqui in foro poli (vt Augustini verbis vtat) veniam lacesito exorare. lege, si placet, dominũ Couarru. lib. 2. variar. cap. 10. n. 7. cui adde Paridem de Syndi. verbo. cõpositio. c. 7. n. 5. Et deniq; vnde dicitur palinodiã canere, consule Erasmus Chilia. r. centuria. 9. adagio. 69. Sed & vtrum id, quod hæc lex definit in vxore, ad sponsam pertineat: legito Hippol. conf. 61. n. 4. De vidua verò nequaquam intelligendum esse, nemo dicitur.

Quemadmodū legata distribuēda sint, quando defunctus vltra tertiam & quintam bonorum partem legauit. Cap. 18.

**C**um defunctus in legando modum lege definitum excessit, supputandus est excessus, qui tertiam & quintam bonorum partem excurrit, & quantum fuerit excessus, tantum pro rata cuiq; legato detrahendum erit: vt patet, si tertia pars excedat, tertia cuiq; legato erit deducenda. Per totum caput.



**E**RVNOTVS pluribus in eodem testamento legata reliquit, verbi gratia, in principio testamenti filio ades, in medio Titio fundum, in fine Seio numos legauit: ea verò legata modum à lege definitum excedūt, quia quintam & tertiam hereditatis partem egrediūtur. Quæro, quæ nam istorum valeant? & constat omnia valere: cæterum id, quod excedit, pro rata eius, quod cuique legatum est, detrahendum erit ita, vt omnia legata ad tertiam & quintam bonorum partem redigantur: vt est exemplo. l. In quātitate. §. fi. ff. ad legē Falcid. tex. in. §. fi. Insti. eodem tit. & illic glossa. vt ecce, tertia & quinta hereditatis pars valent quadringenta, testator verò sexcenta legauit; itaque tertiam partem ampliùs, quam posset, legauit. Tertia igitur pars singulis legatis detrahenda erit. Cui igitur sexaginta legata sunt, quadraginta tantum debebuntur; cui triginta, viginti. Atq; eo pacto fiet, vt omnia legata deducto singulis quod superest, tertiam & quin-  
tama

tam hereditatis partem non egrediantur. Hanc verò deductionem & legata quoq; pia patiuntur, iuxta Bart. sententiā in Auth. similiter. C. ad legem Falcid. l. Si post. & illic interpretes. ff. eodem titu. Hæc, cum defunctus liberos reliquit. At si parentes tantum reliquerit, ad tertiam hereditatis partem legata erunt redigenda, iuxta decisionem tex. in leg. titul. 8. lib. 5. Recopi. Quod si neque liberos neque parentes reliquerit, tum sequendus erit ordo traditus à Iustiano in dicto. §. fi. Inst. de lege Falcidia.

Filius, qui patris rem gessit, vtrū mercedem mortuo patre petere possit. Cap. 19.

**F**ilius, qui patris rem gessit, non habet ius petendi salariū à cohærentibus; idem, si auo vel matris famulatus sit. n. 1. Quis fratri, tutori, vel vitrico famulatus sit; salariū iure desiderare potest. n. 2.

Filius, qui rem paternam administravit, rationem rei gestæ reddere debet. n. 3.




**I**LIV Sfamiās patris senis rem gesserat; patre deinde defuncto in familia circūcūda iudicio de siderabat sibi rei gestæ mercedē siue salariū prestari: cōtradicit fratres. Videamus quid statuēdum sit: quotidiana enim res est. Et sanè Iulgi. in. l. Illud. C. de

C. de collatio. placuit, mercedem ei deberi: fatetur tamen nunquā obtinere potuisse. Eius verò opinio nem sequitur Anto. Gom. in. leg. 29. Tau. n. 24. & alij relati à Baécio de decima ruto. cap. 2. num. 15. Por rò ab hac Fulgosi opinione. pleriq; omnes dissen- tiunt, vt Iaso. in. d. l. Illud. n. 8. & alij, quos refert se- quiturq; Castellus in. l. 27. Tau. n. 17. & hanc opinio- nē nouissimè sequuntur Greg. Lop. & Nauar. locu- pletissimi sanè testes, ille in. l. 3. titu. 20. par. 2. verbo, *que son suyos*. hic in libro, quem Manuale inscripsit, cap. 17. num. 148. Et hanc quoque memini secutum fuisse eruditissimū doctorem Muñoz, nū Pintiani prætorij aduocatū, dum olim Salmantica profitere- tur. Et hanc quidē opinionem veram puto ea qui- dem ratione, quia filius non repetendi animo, sed magis pietatis ratione patris negotia gessisse vide- tur; ac deinde debiti obsequij, & honoris iure. vt in illa. l. 3. tit. 10. par. 2. & in. l. Nenseni. ff. de nego. ge- stis. l. Si alimēta. & l. Si paterno. C. de neg. gest. Tex. elegans in. l. 36. titu. 12. par. 5. Ergo idem probandum erit, si matris vel aui negotia gessisset, eum vtrobiq; eadem ratio versetur. Atque per contrarium appa- ret, non idem dicendum esse, si filius testatus esset re- petendi se animo id facere; vel si fratri, tutori, vel vi- trico famulatus esset: scilicet posse mercedem repe- tere: cessat enim in his pietatis & debiti obsequij ra- tio, quam diximus. Illud quoq; silentio prætereun- dum non erit, eum filium, qui patris negotia gessit, debere ceteris fratribus administrationis rationem reddere, non tantum si defuncto iam patre nego- tia gessit, sed etiam si viuo. Castellus in. leg. 27. Tauri.

Tauri. num. 18. Greg. Lop. in. l. 26. tit. 12. part. 5. verb. *causa verdadera*. Citat eiusdem sententiæ plures au- tores Pinellus, de bonis maternis. l. 1. par. 2. n. 39.

An pro reo, qui criminis causa absens est, pro- curator, defensorue, seu excusator admitta- tur. Cap. 20.

**P**rocurator, excusator, & defensor quid inter sese distent.  
n. 1.  
*Pro reo criminis supposito procurator non admittitur. n. 2.*  
*Pro reo criminis absente procurator admittendus est. n. 3.*  
*Pro reo criminis absente defensor non est excludendus. n. 4.*



**A**CTENVS satis quotidia- nas quæstiones tetigisse videmur. Verum neq; sequens rariùs in fo- ro versari solet, nēpe An reus, qui criminis causa aufugit, & aduer- sus quem in absentia secundum le- gum Regiarum tenorem proceditur: possit per pro- curatorem, aut excusatorem, defensoremue causam dicere, absensq; defendi. Quam quidē quæstionem paucis absoluemus. In primis autem sciendum est, inter procuratorem, excusatorem, & defensorem hoc interesse, quòd procurator est qui cum mādato pro alio allegat; excusator verò, vel defensor mandatū non habet. Rursus excusator à defensore illò distat, quòd excusator est qui causas absentia; defensor ve- rò qui causas causæ seu innocentia; allegat. Specula- tor in titulis de excusatore, & defensore. Anto. Ca-

Causam dice- re ad reū per- tinet, non ad actorem. l. 1. C. de euitod. & exhib. reo- rum. & alibi sepe.



narius de excusatore. n. 7. Nonnunquam tamen hec verba promiscue accipiuntur. Sciendum est præterea, olim aduersus reos criminis absentes procedi non solere; sed si edictis, denunciationibusq; de more propositis contumaces erant: vel eorum bona anno tabantur, & post annū fisco vendicabantur: vel alijis pœnis ad relegationem vsq; afficiebantur. l. Absentem. ff. de pœnis. l. 1. ff. de requi. reis. l. 7. ti. 8. par. 3. Paucis tamen criminibus exceptis, in quibus rei absentes etiam damnabantur, quæ refert Bart. in d. l. 1. ff. de req. reis. Et in his criminibus exceptis sunt intelligenda exempla, quæ affert dominus præsul Si-man. catho. in tit. tit. 2. Hoc verò apud nos obsoletū est: nostratibus enim legibus Regijs recentioribus generaliter aduersus absentes proceditur, contumacesq; dānantur. vt in l. 1. tit. 11. lib. 4. Recopil. His itaq; cognitis, in quæstione proposita dicendū est, procuratorem pro reo criminis absente & contumace nequaquā admittendum esse: Bart. in l. penulti. §. ad crimē. ff. de publi. iud. Idem in l. Seruum. §. publicè. ff. de procura. Idē in extrauag. ad reprimendū. ver. legitimè. & Bald. in dicto. §. publicè. qui ait vsu receptū esse, vt et si statuto cautū sit, quòd reus absens dānetur, adhuc tamē procuratorē pro absente nō admitti. Idem scribit Panor. in. c. Veniens de accusa. Quod quidē procedit etiam si causa fit, quæ mitiorem pœnam relegatione mereatur. vt placet Bart. in l. Qui bona. §. si alieno. n. 16. de dāno infecto. cuius sententiam sequitur Ias. alios referens in. l. fi. C. de procura. De procuratore dictum. Nunc de excusatore dicendum. Excusator ergo, qui absentia scili-

cet

cet causas velit proponere, in criminalibus causis admittendus erit omnino, dicta. l. penul. §. ad crimen. ff. de publi. iud. l. Inter. ff. eod. in tantum, vt si admisus nō fuerit, irritum sit iudicium: vt est autor Bart. in dicta extrauag. ad reprimendum. ver. neglexerit. Nihil autem refert, vt is excusator admittatur, mandatum habeat, nec ne. l. 12. tit. 5. par. 3. Ac de hoc excusatore cum mandato est intelligenda. l. 25. tit. 1. lib. 3. Recopila. quæ nonnullis in causis pro reo criminis absente procuratorem admittendum significat. Quas verò excusationes excusator is possit allegare, expendit Bart. in dicto. §. ad crimen. nume. 16. Huius verò excusatoris ea quidem erit utilitas, quòd si de rei absentia legitimas causas docuerit: iudicium sistet, pœnæque alioqui aduersus contumaces sancitæ, aduersus hunc reum cessabunt. dicta leg. Inter. ff. de publi. iud. Bart. in leg. 2. §. si quis in iudicio. ff. si quis cautio. leg. 12. titul. 5. part. 3. Sed iam quid de defensore innocentia causas allegaturo statuendum sit videamus. In quò sciendum est, iure comparatum esse in causis criminalibus vnunquēque de populo admittendum esse ad rei absentis defensionem, qui tamen non admittitur vt procurator, quia neq; eo nomine potest, sed vt defensor pro eo, quod publicè interest, absentes à quibuscūq; defendi. Huius igitur officium erit, vt iudici assistat, & rei innocentia testibus, alijsque legitimis probationibus doceat. Hæc sententia apertissime probatur in. l. Seruum. §. publicè. ff. de procura. Vbi Iuricon. in hæc verba scribit. *Publicè vtile est, absentes à quibuscumque*

que defendi: nam & in capitalibus iudicijs & defensio datur. Vbicunque itaq; absens quis damnari potest, ibi quenuis pro eo verba facientem, & innocentiam excusantem audire aequum est, & ordinarium admittere. Hactenus Iure conf. At qui apud nos legibus Regijs sancitum est, vt absentes rei damnentur. leg. i. titu. ii. li. 4. Recopila. Ergo palam sequitur, apud nos defensorem pro reis absentibus admittendum esse. Et sanè hæc omnium interpretum communis est sententia: omnes enim vno ore consentiunt, in rebus capitalibus criminalibusque iudicijs, in quib9 lege vel statuto aduersus absentes agitur, in his defensorem pro reis absentibus admittendum iri. Huius sententiæ est Bartolus in leg. Seruum. §. publicè. & in lege penulti. §. ad crimen. ff. de publ. iud. & iterum in extranogan. ad reprimendum. verbo, legitimè. Hanc dicit communem & veram sententiam, & summo opere notandam Iaso. in. l. Is, qui. num. 7. C. qui testa. facere possunt. Idem testatur Maria. Socinus, & Thomas Docius in duobus consilijs, quæ adiecta sunt ad illum tractatum Antonij de Canario de excusatore. Hiq; narrant secundùm hanc opinionem sapiissimè obtinuisse, & non paucos reos grauissimorum criminum postulatos defendisse. Hæc quoq; probat Capola consi. 40. cù pluribus sequentibus. Et communioem dicit Hippoly. cons. 73. num. 39. Et communem, moribusq; receptam testatur Alex. cons. 4. vol. 6. Refert quoque eiusdem sententiæ alios autores Marant. in Specul. 4. par. dist. i. n. 42. Deniq; apud nos hæc sententiam & communem esse, & vsu receptam testatur testis satis locuples, Grego. Lop. in. l. 12. tit. 5. par. 3. verb. no

po-

podria. Quapropter hæc quaquam est audiendus Auend. qui in hac realiter sentit respõ. 15. Accedit his, quòd huius sententiæ eam rationem esse doctores tradunt, quoniam vbi cuiq; absentes damnentur, teneatur iudex ex suo officio de rei innocentia inquirere. l. i. §. si quis vltro. & illic Bart. ff. de quaestio. Auth. qui semel. C. quomo. & quan. iudex. At hæc quidem ratio apud nos non deficit, quandoquidè illa lex Regia id facere Iudicibus iubeat. Diuersitatis verò rationem, quare magis defensor, quàm procurator pro reo absente admittatur: duplicem apud interpretes obseruo. Vnam, quia si absentis procurator reciperetur, nè quaquam reus contumax diceretur: atq; ideitco cõtumaciæ pœnas euitaret. quod à ratione abhorrens esset. Alteram, quoniam is procurator absenti magnopere officere posset, per negligentiam fortè, imperitiam, vel dolum: quæ omnia quidem in defensore cessant. Non potest enim defensor quidquam reo obesse, si commodum non afferat. Commodum autem illud erit, ac non leue, vt si de rei innocentia constiterit, reus absoluat. Pœnas verò contumacibus impositas reus nihilomagis effugiet, sicuti ex Scriptorum mente colligo. Illud quoq; his addendum erit, defensorem hunc satisfatione aliqua onerandum nõ esse, scilicet de iudicio sistendo, vel iudicato soluendo: vt placet Anto. Canario in illo tract. de excusatore, nu. 22. Deniq; quas exceptiones iste defensor allegare possit, videas apud Bart. in dicta. l. Absentem. nu. 4. & Anto. de Canario dicto tracta. quaestio. 9. Superior verò conclusio, quam hucusq; tot rationibus, & testimonijs confir-

O maui-

mauimus; est limitanda nō habere locum in causis pertinentibus ad cognitionem pratorum sodalitatibus: quos vulgò *de la Hermandad* appellamus. vt est contentum in l. 9. titu. 13. lib. 8. Recopil. quæ quidem cū illis specialibus causis ita definiat: manifestum argumentum præstat, in cæteris criminibus nostram sententiam veram esse. Quæ tamen lex videtur mihi ipsa rursus limitanda, & ita accipienda, vt nihilominus ij, cuius interest, pro reo absente admittantur, putà dominus pro seruo, pater pro filio familiaris. Istos enim in omnibus criminibus sine distinctione aliqua admittendos esse placet Bartolo in dicto. §. ad crimen. n. 9. & Baldo in l. Reos. C. de accusa. Panor. in c. Venien. num. 13. de accusa. Aliam cautionem quoq; , qua reus absens non obstante tali lege defendi possit, tradit Iaso. in l. Vbi pactum. C. de transact. nu. 13. Quem, si placet, per te videas.

Læsæ Maiestatis rei ædes quare aratro exarentur, & sale deinde aspergantur. Cap. 21.

**P**roditoris ædes ad exemplum euerendarum ciuitatum exarantur. numero. 1.  
Sile proditoris domus aspergitur ducto exemplo à Rege Abimelech. numero. 2.



Volentes iam iam receptui canere, destinatoq; operi finem imponere; illud omittendum non duximus: inter pœnas, quibus læsæ maiestatis reus plerūti solet, moribus est vsurpatum vt illius domus à fundamentis euerfa, aratroq; in eam

in eam inducto, sale deinde aspergatur. Id vnde originem duxerit; iuris studiosus scire conabitur. Neq; enim totam operam in componendis libellis, inq; iudiciorum obseruationibus perscrutandis ponere debemus: sed sunt, mihi crede, nonnunquam altius respicitus attollendi, & cuiusq; rei, vel difficillimæ inuestiganda ratio. id, quod etiam monet Ouidius de arte amandi, lib. 1.

*Disce bonas artes moneo Romana iuuentus,  
Non tantum trepidos vt tuare reos.*

- 1 Et sanè de perduellis ædibus diruendis iure aperto cautum legimus in l. 6. ti. 13. & l. fi. tit. 19. & l. 6. tit. 27. par. 2. Et huius rei ratio redditur in c. Felicis. de pœnis. in. 6. his verbis. *Fiant habitationes eius desertæ; & vt non sit qui eas inhabitet, dentur euntia ipsius ædificia in ruinam; & vt perpetua notam infamiæ perpetua ruina testetur, nullo tempore reparentur.* Sed & de aratro inducendo tametsi non sit iure cautum, ductum est tamen exemplum à ciuitatum euerfione. vt apparet ex l. Si usufructus. ff. quibus mod. usufruct. amitt. Neq; sine ratione, nam sicuti in vrribus condendis aratro locus definiebatur. l. Pupillus. §. vrbs. ff. de verb. sig. *Vrbs* (inquit) *ab vrno appellata est, vrnare est aratro definire.* & Varus ait, vrnum appellari curuaturam aratri, quod in vrbe condenda adhiberi solet. Ita in illius ruinam depopulationemq; eodem instrumento vti cōcinnie est: quum nihil sit tam naturale, quàm vnanquam; rem per quascunq; causas nascitur, per eadem dissolui. Ac de hac aratri inductione

in evertendis urbibus tradidit adamussim Calius Rhodig. lib. 14. lectionum antiquarū, c. 5. Atqui de sale aspergendo non erit in promptu causam inuenire: id enim neque iure cōmuni, neque Regio scriptum legimus. Vnde ergo hunc ritum effluxisse arbitraris? Non quidem ex anilibus fabulis, circulatorij sue nugis, vel ex Alcinoi (vt dici solet) Apologo: sed ex sacris profectò Biblijs. vbi rogo? Iudicum libro. c. 9. ibi enim legitur, Regem Abimelech urbē Sichē propterea quod à suo imperio defecerat, funditus diruisse, & habitatoribus interfectis sale aspergisse. At quamobrem quæso magis in eam rem sal, quàm alia res vsurpatur? Si quid iudico, ex eo quòd aliarum rerum ferè omnium genium ad generandū semper est procliue: salis contra natura effæta est; ac non tantum ad generandum, quàm ad erodendum, absumentumq; prompta. Deniq; si sale uanuerit (vt est in Euangelio) ad nihil unā valet vltrā, nisi vt mittatur foras, & conculetur ab hominibus. Dignæ sunt igitur proditoris ædes, quæ tali femine feminentur.

Peroratio.

**H**Abes cāhilde lector Rerum quotidianarum liberum vnum, breuē illum quidem, sed tum vtilem, tum dulcem: illud propter rerum tractatarum assiduitatem, hoc propter materiae varietatem ac vicissitudinem. Itaq; nisi me tui fallit amor, circulū (vt dici veteri adagio solet) absoluisse, ac summam propositi assecuti videntur manū vult esse ille Horatij verficulus.

Omne

Omne tulit punctum qui miscuit mille dulci.

Tuum erit igitur honis auspicijs, piumisq; conatibus fauere, illosq; hilari fronte suscipere, & quoque animo perlegere. Quod si praestiteris, & me quidem demereberis, & ad grauiora opera suscipienda multò alacriorem & animosiozem effeceris. Vale.

A

Deo gratias.

Ed. nulli non conuenit  
A. Etatis suæ anno .xxxiiij.

# Index alphabeticus, in quo

sententia maximè notabiles, quæ hoc in opere continentur, summam recensentur.

## A

- A**ctio quoties ipso iure non tollitur, sed ope exceptionis tantùm, à iudice repellit non debet, nisi à reo fuerit oppositum. c. 1. §. 1. n. 8.
- A**ctio personalis vel mixta iure communi. 30. vel. 40. annorù præscriptione repellitur. c. 1. §. 11. n. 37.
- A**ctiones temporales, quæ nostrati iure regio introductæ sunt, veluti illa ex empto venditoq; & ceteræ id genus, non finiuntur de momento ad momentum, sed necesse est vt totus postremus dies compleatur. c. 1. §. 1. n. 10.
- A**ctiones reales, item & in re scriptæ decē & viginti annorum præscriptione repelluntur. c. 1. §. 11. n. 37.
- A**ctio personalis, & res iudicata pro ea competens, iure regio viginti annorum præscriptione repellitur. c. 1. §. 14. n. 47.
- A**ctionum temporalium, vsucapionum, & præscriptionum diuersa est natura. c. 1. §. 1. n. 9.
- A**ctio confessoria & negatoria pro vsufructu & cæteris seruitutibus cōpetens longi tēporis præscriptione 10. vel. 20. annis excluditur. c. 1. §. 7. n. 21.
- A**ctiones loco non circumscribuntur. c. 3. n. 50.
- A**ccursus miserè hallucinatus est in intelligentia. l. Foramen. ff. de seru. vrb. præd. c. 1. §. 8. n. 27.
- A**duocatus, qui sciens prudensq; improbæ liti patrocinatus fuerit, mortale peccat peccatū; ac tenetur insuper omnia damna, impensasq; omnes vtri que litigatori præstare. c. 2. n. 1.
- A**duocatus non excusatur à restitutione, etiam per ignorantiam, si ea ex lata culpa proueniat; secus si ex leui vel leuissima. c. 2. n. 2. & 3.
- A**duocatus non excusatur à peccato neque restitutione, quoties errat ea ignorantia, quæ omnes vel plerofq; aduocatos non falleret. c. 2. n. 4.
- A**duocatus ambiguam causam suscipiendo, quādo excusetur. c. 2. n. 5. & 11.
- A**duocatus excusatur à peccato restitutioneque, si cliētulus in possessorio iudicio ius habeat, in proprietatis non habeat. c. 2. n. 6.
- A**duocatus iustæ liti operam dans, potest salua conscientia, dolo astuq; & cauillationibus aduersariū circumscribere. c. 2. n. 7.
- A**duocatus si munus suum, vt par est, obeat, plus meretur aduersus Deum, quàm sacri verbi concionatores. c. 2. n. 8.
- A**duocatus iustis duntaxat litibus dans operam, facilius sibi & nomen, & diuitias parat. c. 2. n. 8.
- A**duocatus quam rationem in suscipiēdis causis habere debeat, ne errare falliq; possit. c. 2. n. 11.
- A**duocatus cū iustam causam susceperit, omnes debet neruos intendere ad victoriam comparandam. c. 2. nu. 12.
- A**duocatus iustæ liti operam dans, & si honorarij causa plus accipiat, quàm legibus sit definitum; non peccat, neq; ad restitutionem tenetur, si quidem modum non excedat. c. 2. n. 13.

## INDEX.

- Advocatorum error notatur. c. 10. n. 8.
- Alciati differentia inter vsucapionem; & temporalem præscriptionem tam verisimè, quàm nouissimè ab autore refellitur. c. 1. §. 1. n. 63.
- Alcabala, Latine vectigal rectè appellatur. c. 3. n. 1.
- Alcabala vnde nomen traxerit.
- Alcabale materia vide effusè infra verbo, vectigal.
- Alimentorum causa summam tractanda, neq; appellationi deferendum. c. 12. n. 7.
- Altius tollendi seruitus, quare ita dicatur & verisimè, & nouissimè demonstratur. c. 17. n. 6.
- Altius tollere eatenus quis potest, quatenus efficiat ne vicini ædes valde nimis propalentur. c. 15. n. 3.
- Aleuofus perduelli exæquatur. c. 17. n. 6.
- Animali propter morbum redhibito vectigal debetur. c. 3. n. 39.
- Annui reditus mobilium vel immobilium appellatione proprie non continentur, sed tertiam quãdam speciem constituunt. c. 3. n. 49.
- Annuo reditu super prædio assignato hypotheca contrahitur, dominium verò rei obligatæ in emptorem non transfertur. c. 3. n. 50.
- Annuo reditu vendito vectigal debetur illi publicano, qui est eo loci, vbi extant bona obligata pro cæsu; nõ illi, qui est loco contractus, vel destinatæ solutionis. c. 3. n. 51.
- Annui reditus illic extare dicuntur, vbi sunt bona pro ipsis obligata. c. 3. n. 52.
- Annui reditus super personam tantum cõstitui nõ possunt. c. 3. n. 53.

B.

B

- Boni viri appellatio, maligna hominum interpretatione iniuriam significat. c. 17. n. 4.

C

- Cæcus excusationem habet à muneribus personalibus, nõ à patrimonialibus; proin à vectigalis munere non excusatur. c. 3. n. 19.
- Capitulum primum de testam. explicatur. c. 16. n. 3.
- Clerici negotiationibus vacantes à vectigalis munere non excusantur. c. 3. n. 16.
- Clericus filia suæ spuria ultra quincuncem dotis nomine dare non potest. c. 16. n. 1.
- Clericus qua cautione possit filiam spuriam ultra quincuncem dotare. c. 16. n. 2.
- Confinia dicecesum, marchionatum, similiumq; dominationum temporis præscriptione non cõfunduntur. c. 1. §. 15. n. 50.
- Conductores sacerdotiorum de fructibus venditis vectigali sunt obnoxij. c. 3. n. 17.
- Cõtractuum nominatorum innominatorumq; differentia etiam hodie iure Regio durat. c. 3. n. 34.
- Contractu perfecto, partium dein consensu dissoluto, vectigal quibus casibus debeat. c. 3. n. 37.
- Cum de veritate constat; plus ratio, quàm cõmunis opinio, valere debet. c. 7. n. 5.
- Curatoris officium per minoris matrimoniũ non dissolui. c. 12.
- Curator finito demum officio rationes reddere debet. c. 12. nu. 1.

Cura

Cura si ipso iure nō finiatur, minoris curatorisq; assensus id efficere non valet. c. 12.  
 Creditor quemadmodum sibi consulere possit aduersum debitorem annuæ pensionis, ne illi possit præscribere. c. 1. §. 12. n. 42.  
 Cuiusq; rei potissima pars principium est. c. 1. n. 1.  
 Cuculus, & Curuca quid. c. 17. n. 2. & 3.

## D

Definitionis proprium est, verbi substantiam demonstrare. c. 1. §. 1. n. 1.  
 Definitio, impropria non comprehendit. c. 9. n. 7.  
 Defensor in causis capitalibus pro absente admittendus est. c. 20. n. 3.  
 Defensor nō admittitur in criminibus spectantibus ad prætores solidatis (vulgò) dela hermandad. c. 20. num. 5.  
 Dominus antistes Couarruias laudatur. c. 1. n. 4.  
 Dominus præsul Simancas laudatur. c. 3. n. 21.  
 Doctor Nauarrus laudatur. c. 1. §. 1. n. 6.  
 Doctor Aguilera laudatur. c. 8. n. 2.  
 Doctor Grego. Lopez laudatur. c. 1. §. 12. nu. 41.  
 Doctor Didacus Perez Salmatinus laudatur. c. 11. n. 1.  
 Dominij verbum proprè ad legitimū siue directum pertinet. c. 1. §. 2. n. 12.  
 Dominium vtile nunquam apud interpretes legitur, sed interpretum est inuentum. c. 1. §. 2. n. 14.  
 Dominij, ac proprietatis differentia ab antiquis tradita exploditur. c. 4. n. 1.  
 Dominium, & proprietas hoc differunt; quòd dominiū est ius serè semper cum vsufructu coniunctum,

cum, proprietas verò est ius ab vsufructu separatum. c. 4. n. 14.  
 Donatio à clerico genero suo facta, rata est. c. 16. n. 2.

## E

Excusator, qui causas absentia alleget, benè admittitur pro reo criminis. c. 26. n. 3.

## F

Factum cum quis promissit, non potest præcisè cogi ad faciendū, sed præstando facti æstimatione liberatur, idq; etiam iure Regio. c. 6. n. 1. & 10.  
 Facti stipulatio diuisionem non recipit. c. 6. n. 2.  
 Factū antequā fiat, in rerum naturā non est. c. 6. n. 3.  
 Facere præcisè cogitur qui ex re iudicata tenetur. c. 6. n. 10.  
 Facere præcisè cogitur qui ex instrumento guarentigio (quod vocant) tenetur. c. 6. n. 11.  
 Factum syngrapho promissum cum quis non præstat, executio pro vera facti æstimatione locū habet. ca. 6. n. 12.  
 Falcidia, & Trebellianica quare hodie rarè in foro versentur. c. 11. n. 3.  
 Falsi crimen proditioni exæquatur. c. 17. n. 7.  
 Filius legitimus indubio non præsumitur. c. 16. n. 3.  
 Filius, qui patris rem gessit, an mercedem desiderare possit. c. 19.  
 Filius, qui patris negotia gessit, tenetur ceteris fratribus rationem reddere. c. 19. n. 2.  
 Ferire fœdus quare dicatur. c. 13.

Filius non potest iure Regiō ultra legitimam portionē quartā Falcidiæ, vel Trebel. deducere. c. 11. num. 3.

Fons perpetuam causam habet ad seruitutem constituendam. c. 1. §. 8. n. 27.

Furnum, torcular, & molendinum diuisionem non recipiunt. c. 6. n. 4.

## H

Hispaniæ sermo vernaculus ex Latina lingua originem traxit. c. 3. n. 11.

Hispaniæ antiquus sermo creditur fuisse is, quo Cātabri, idest, Viscayni vtuntur. c. 3. n. 12.

Hispaniæ Reges Imperatori non subesse. c. 3. n. 7.

Hispaniæ Reges habeat potestatem vti Regalia ex iusta causa indicendi. c. 3. n. 8.

Hispaniarum Regum benignitas humanitasq; agnoscitur. c. 3. n. 8.

Hæretici, maliq; Christiani quemadmodum secerantur. c. 17. n. 7.

## I

Iureconsulti mirum in modum Latine lingue elegantia floruerunt. c. 1. n. 3.

Ius exequēdi pro actione reali competens, etiam hodie non præscribitur, nisi triginta annorum spatium. cap. 1. §. 13. n. 45.

Iuri exequēdi quibus in casibus non præscribatur. cap. 1. §. 13.

Ius exequēdi si fuerit in iudicium deducit per citationem

tionē tantum, vel executoris missionem; in decē alios annos interrumpitur: sin per litis contestationē, in quadraginta annos perpetuatur. ca. 1. §. 17. num. 46.

Ius agēdi ad supplementū legitimæ, adhuc triginta tantū annorū præscriptione repellitur. ca. 1. §. 15. num. 50.

Iuris ignorantia latae culpæ an numeratur. c. 2. n. 2. & 3.

Iudex cum definitiue pronuntiat; cognita rei manifestata violentia, poterit rem sequestro demādere. c. 10. n. 5.

Iudex in pœnis inferendis nō ita blādus esse debet, vt crimina debita pœna nō vindicetur. c. 10. n. 6.

Interdictū, vti possidetis, & vnde vi, proponi conditionaliter eodem libello possunt. c. 10. n. 8.

Imperator cum vni præsidi rescribit, alijs quoq; rescriptum videtur. c. 10. n. 5.

## L

L. 2. tit. 4. lib. 3. Fori explicatur. c. 6. n. 4.

L. 11. tit. 6. lib. 5. Compilationis exponitur. c. 7. n. 1.

L. 2. tit. 10. lib. 8. Compilatio breuiter, & copiose explicatur. cap. 17.

L. 9. tit. 13. lib. 8. Compila. explanatur. c. 20. n. 5.

L. 6. tit. 15. li. 4. Cōpila. latè expeditur. c. 1. §. 11. cū seq.

L. 11. tit. 11. lib. 5. Compila. explanatur. cap. 1. §. 1. num. 103.

L. 11. tit. 15. lib. 4. Compila. dispicitur. c. 1. §. 1. n. 10.

L. 2. tit. 17. lib. 9. Compil. exponitur. c. 3. n. 34.

L. 35. tit. 18. lib. 8. Compila. elucitur. c. 3. n. 42.

L. 6. tit. 17. par. 7. latè interpretatur. c. 12. n. 2.



- L. 3. tit. 15. par. 2. exponitur. c. 12. n. 4.  
 L. si. tit. 32. par. 3. commendatur. c. 15. n. 3.  
 L. si. tit. 6. p. 7. & breuiter, & verè explanatur. c. 17. n. 15.  
 L. Si quis diuturno. ff. si seruitus vendicetur, ac uti-  
 fimè exponitur. c. 1. §. 8. n. 23.  
 L. 1. §. si. ff. de aqua. plu. arcend. c. 1. §. 8. n. 23.  
 L. Hoc iure. §. ductus aqua. ff. de aqua quoti. & asti-  
 ua. c. 1. §. 3. n. 2.  
 L. Seruitutes. 4. ff. de seruitut. c. 1. §. 8. n. 24.  
 L. Foramen. ff. de ferui. vrba. præd. c. 1. §. 8. n. 24.  
 L. Diutina. C. de lōg. tēporis præscri. c. 1. §. 9. n. 24.  
 L. Neq; petentem. C. de præscri. longi tēpo. eodē.  
 L. Vnica. C. de vsucap. transform. c. 1. §. 10. n. 35.  
 L. 2. C. de petitione hæredi. c. 5. n. 2.  
 L. Hæreditatis. C. de petiti. hæredita. c. 1. n. 1. & 2.  
 & c. 1. §. II. n. 38.  
 L. Hæreditatem. C. in quibus causis cessat longi tē-  
 poris præsc. c. 1. §. II. n. 38. & c. 5.  
 L. Nemo. C. de adq. possel. c. 9. n. 8.  
 L. In omnibus. ff. de actio. & oblig. c. 1. §. I. n. 9.  
 L. 4. §. Cato. ff. de verbo. oblig. c. 6. n. 9.  
 L. Ab hostibus. C. de captiuis, & postlimin. reuersis  
 c. 1. §. 4. n. 17.  
 L. Etiam. ff. de minoribus. c. 1. §. 4. n. 16.  
 Leges debitum temporali præscriptione excluden-  
 tes, validæ ne sint. c. 1. §. II. n. 40.  
 Leges vectigalium fauorabiles sunt. c. 3. n. 14. & 29.  
 Leges in plurali loquētes, etiam in vnicō locum ha-  
 bent, si eadem sit ratio. c. 7. n. 4.  
 Lex Falcidia, & S. C. Trebellia, quomodo hodie lo-  
 cum habeat. c. 11.

La-

- Lacus, & stagnum quemadmodum determinetur.  
 c. 1. §. 8. n. 28.  
 Lata culpæ finis. c. 2. n. 4.  
 Legatum annuum num temporis præscriptione  
 amittatur. c. 1. §. 13. n. 44.  
 Lenocinium facere non minus est, quàm quæsum  
 corpore exercere. c. 17. n. 7.  
 Legata quemadmodum distribuenda sint, quando  
 defunctus modum lege defunctum excessit. c. 17.  
 Litis contestatio quid sit, & vnde dicta. c. 14.  
 Locatores vectigaliū num vectigalium sint immu-  
 nes. cap. 3. n. 20.  
 Locatio & conductio ab emptione & venditione  
 quemadmodum dignoscantur. c. 3. n. 24.  
 Læsa maiestatis rei ædes quare exarentur, faleq; af-  
 pergantur. c. si.  
 Magnates si in vectigalibus locādis sibi nō caueāt,  
 vectigal conductoribus soluere tenentur. capit.  
 3. n. 21.  
 Mauridis siue Morisci conuitium palinodia non  
 plectitur. cap. 17. n. 8.  
 Melius est modicum iusto super diuitias peccato-  
 rum multas. c. 2. n. 9.  
 Melioratio in vnicum filium facta num teneat. c. 7.  
 Melioratio prælegatum est, non institutio. 15. n. 2.  
 Minore restituto vectigal non debetur. c. 2. n. 41.  
 Minor propter matrimonium non liberatur à cu-  
 ratoris potestate. c. 12. n. 3.

Mo-

Momentum in iudicijs quid sit. c. 9. n. 2.  
 Momentaneum quid significet. ibidem.  
 Morbi Gallici maledictum palinodia non ulciscitur. cap. 17. n. 8.  
 Mulier viri conditionem sequitur. c. 17. n. 10.  
 Necessitas excusat à vectigalis munere. c. 3. n. 43.  
 Naturalis obligatio, propriè non est obligatio. ca. 9. n. 6.  
 Nobiles palinodia non puniuntur. c. 17. n. 9.  
 Onfia quid sit. c. 3. num. 35.  
 Opinibus duabus inter sese pugnantibus standum est illi magis, cui consuetudo suffragatur. c. 1. §. 11. num. 40.  
 Palinodia pœna non solum illa quinque conuictia videlicet dicantur, sed et cætera similia. c. 17. n. 6.  
 Palinodie pœna non habet locum, cum reus doceat se verum dixisse. c. 17. n. 11.  
 Palinodia non habet locum, cum reus prius alia iniuria lacesitus fuerit. c. 17. n. 12.  
 Palinodia num locum habeat, cum conuictum dicitur fuerit absente aduersario. c. 17. n. 13.  
 Palinodiam canens toto exautoratur honore, in ordinemq; redigitur. c. 17. n. 16.

Pali-

Palinodiam canens, quare dicatur. c. 17. n. 17.  
 Pœnam ordinariã quilibet honesta causa solet extorquere. c. 17. n. 12.  
 Pœna homicidij ordinariã non est inferendã, cum reus dicto vel facto fuerit prius lacesitus. c. 17. num. 13.  
 Parentibus indulgentum est introitus ascendentibus descendentibusque desideratis etiã inter cognatos, hisq; deficientibus inter extraneos, de quadrãte & quincunce fidei committere possint. c. 7. n. 3.  
 Pœna ita ex personarum conditione, & rerum qualitate estimanda sunt, vt ne quid durius aut remissius constitutur. c. 10. n. 7.  
 Pœna retrotrouendã diuanti tẽporis præscriptione repellatur. c. 1. §. 14. n. 49.  
 Petitio hereditatis non datur aduersus possidentem res hereditarias titulo singulari. c. 5. n. 2.  
 Petitio hereditatis utilis vel directã aduersus quos detur. ibidem.  
 Petitio hereditatis quanta tẽporis præscriptione excludatur. c. 1. §. 11. n. 39.  
 Pignoratitia actio vsucapione non tollitur, secus tẽporali præscriptione. c. 1. §. 5.  
 Possessoria remedia pro annua pensione dantur. capit. 3. num. 52.  
 Possessio vnica est in iure, eaq; est civilis, non naturalis. c. 9. n. 3.  
 Possessio naturalis, non vera est possessio, sed detentatio. c. 9. n. 4.  
 Possessionem naturalem qui habere dicantur. ca. 9. num. 5.

Pos-

- Possessio non est danda sine causa cognitione. c. 10.  
num. 1.
- Possessionem apprehendens ratione decreti, quod  
nullum est, non excusatur a crimine. c. 10. n. 7.
- Possessionem vi ingrediens, an vinculis detinendus  
quoad a vi deficiat. c. 10. n. 3.
- Possessorem debet iudex sua autoritate protegere ad  
uersus vim inferentem. c. 10. n. 4.
- Possessorio remedio experiens, quid cauere, quibus  
que verbis uti debeat. c. 10. n. 9.
- Possessio data sine causa cognitione quando confirmari  
manda sit a superiore. c. 10. n. 10.
- Præscriptio temporis nihil aliud est, quàm exceptio,  
que datur a iure propter lapsum temporis lege  
definiti. c. 1. §. 1. n. 2.
- Præscribendi verbum latè patet, omnesq; ferè exce  
ptiones comprehendit. c. 1. §. 1. n. 2.
- Præscriptionum species multe in iure reperiuntur  
c. 1. §. 1. num. 3.
- Præscribendi verbo abusiue iuris interpretes utun  
tur. ibidem.
- Præscriptionis temporalis an iudex rationem habere  
debeat, ni fuerit a reo proposita. c. 1. §. 1. n. 8.
- Præscriptioni decennij aduersus ius exequendi re  
nunciari potest. c. 1. §. 13. n. 43.
- Præscriptio aduersus ius, exequendi quemadmodum  
impediri possit. c. 1. §. 13. nu. 44.
- Præscriptio iure exequendi, si reus confiteatur, quid  
statuendum sit. c. 1. §. 13. n. 46.
- Præscriptio temporalis non habet locum, quando  
obligatio iureiurando fuit confirmata. c. 1. §. 15. n. 50.
- Per-

- Perpetuatio actionis hodie non tollitur iure Regio  
c. 1. §. 14. n. 48.
- Proprietas, & dominium quemadmodum differat.  
c. 4. num. 2.
- Proprietas plena dicitur, usufructu cum proprietate  
consolidato. ibidem.
- Procurator, defensor, & excusator quemadmodum  
differant. c. 20. n. 1.
- Procurator, defensor, seu excusator num admittatur  
pro eo, qui criminis causa aufugit. c. 20.
- Procurator pro reo absente nequaquam in rebus ca  
pitalibus admittitur. 20. n. 2.

- Quid prodest homini si totum mundum lucretur,  
animæ autem suæ detrimentum patiatur? c. 20. n. 2.
- Quæ de facto fiunt, de facto rescindere ius est. ca. 10.  
num. 2.

## R

- Reges, Principesq; qui se ab Imperatoris subiectio  
ne vindicarunt; parem in regno, principatuque  
suo Imperatori potestatem sortiti sunt. c. 3. n. 3.
- Rex si sine iusta causa vectigalia imponeret, non li  
ceret subditis aduersus eum conspirare. c. 3. nu. 5.
- Rex potest regulos siue magnates dominatione pri  
uare cap. 3. n. 6.
- Reges Hispaniarum Imperatori non parent. cap. 3.  
num. 7.

INDEX.

Reges non debent ardua cōsilia prius, quān ad pro-  
ceres referantur, expedire. c. 3. n. 8.  
Regum curatoribus peculiaria quaedam recipiun-  
tur. c. 12. n. 4.

S

Sacra missarum solennia indiuidua sunt. c. 6. n. 4.  
Seruitutes indiuidue sunt. c. 6. n. 5.  
Seruitutes à prædio dominante nomen mutantur.  
c. 15. num. 2.  
Seruitutum continuarū, & discontinuarum differē-  
tia dedocetur. c. 1. §. 8. n. 24.  
Seruitus aqueductus, & fluminis quid distent. ca. 1.  
§. 3. num. 27.

Spoliatus per vim manifestam, statim debet à iudi-  
ce restitui. cap. 1. n. 4.

Simile quemadmodum accipiendum. c. 17. n. 6.

T

Testamentum indiuiduum est. c. 6. n. 4.  
Textus in §. fin. Inst. de seruitut. interpretatur. ca. 1.  
§. 8. num. 23.  
Turpe est ingenio & nobili viro causas exoranti,  
ius, in quo versatur, ignore. c. 2. n. 3.

V

Vestigialis indicēdi ius vnicuiq; Principi Impera-  
torem non recognoscenti competit. c. 3. n. 2.

Ve-

INDEX.

Vestigialis munus, quod apud nos *alcabala* dicitur, à  
Rege Alfonso eius nominis vndecimo originē  
traxit. cap. 3. n. 9.

Vestigalia iure imposita fraudare, peccatum est. c. 3.  
num. 13.

Vestigia Principi debita nulla tēporis præscriptio-  
ne perduntur. c. 3. n. 15.

Vestigialis munus, quod *alcabala* dicitur, omnes cō-  
prehendit. c. 3. n. 16.

Vestigal non debetur ex eo, quod pro animæ suæ  
piaculo quis reliquit. c. 3. n. 18.

Vestigialis munus patrimoniale est, non personale.  
ca. 3. num. 19.

Vestigal an ex cadaueris translatione debeatur. c. 3.  
num. 19.

Vestigal apud nos tantū debetur ex contractu vē-  
ditionis, vel permutationis. c. 3. n. 22.

Vestigal non debetur ex operis, quæ ab artificibus  
fiunt. c. 3. num. 23.

Vestigal debetur ex cōtractu inter patrem & filiū.  
cap. 3. num. 26.

Vestigal non debetur, cū quis inuitus vendere co-  
gitur. c. 3. n. 26.

Vestigal debetur ex cessione pretio facta. ca. 3. n. 27.

Vestigal num. debeatur ex emphiteosi, vel locatione  
ad longum tempus. c. 3. n. 28.

Vestigal num. debeatur ex rebus ex causa iudicati  
veditis. ca. 3. n. 29.

Vestigal quando debeatur, cū aliud pro alio solui-  
tur. c. 3. num. 30.

Vestigal non debetur ex transactione, vel litis affi-  
matio

INDEX.

- matione. c. 3. num. 31.
- Vectigal an debeat, cum res æstimata vendēda datur. c. 3. n. 32.
- Vectigal non debetur, cum quis omnia sua bona donat ea lege, ut donatarius eum sustentare debeat. cap. 3. nu. 32.
- Vectigal an debeat ex contractibus innominatis. ca. 3. num. 33.
- Vectigal non debetur ex contractu imperfecto. c. 3. num. 35.
- Vectigal an debeat ex contractu cōditionali. c. 3.
- Vectigal non debetur ex permutatione, re prius nō tradita. c. 3. n. 35.
- Vectigal quando debeat ex contractu perfecto, posteaq; dissoluto. c. 3. nu. 37.
- Vectigal semel debetur ex contractu census temporarij, quem vulgò *alquitar* appellamus. c. 3. nu. 38.
- Vectigal nō debetur è rebus in dotem datis, etiam æstimatis. c. 3. n. 42.
- Vectigal non debetur, cum bona hæreditaria inter hæredes diuiduntur. c. 3. n. 43.
- Vectigal si emptorem sequitur, totū, quod emptor numerare debet, pro pretio habendū est. c. 3. n. 44.
- Vectigal soluendum est non deductis impēsis in rerum venditione factis. c. 3. n. 46.
- Vectigal non debetur ex promisso. c. 3. n. 47.
- Vectigal antea exigi nō debet, quam dies pretij soluendi venerit. c. 3. n. 48.
- Vectigal iure Regio soluendum est eo loci, vbi extāt bona immobilia. c. 3. n. 51.
- Vendens habita fide pretij quemadmodum cauere

INDEX.

- fibi possit. c. 7. n. 4.
- Verborum etymologia et si plerunq; fallax sit; attamen quoties interpretatione res eget, aliquando ysum quotidianum habet. c. 14. n. 2.
- Voluntas res facti est. c. 6. n. 4.
- Verbum, perpetuus, & verbum, continuus differūt. cap. 1. §. 8. num. 25.
- Vfucapio, & temporalis præscriptio sicuti nomine differunt, ita & re ipsa determinantur. c. 1. nu. 2.
- Vfucapio propriè tam res soli, quam mobiles complectitur. c. 1. num. 4.
- Vfucapionis, & temporalis præscriptionis differentia ab anterioribus tradita refellitur. c. 1. n. 2.
- Vfucapio quid sit. c. 1. §. 1.
- Vfucapio, & tēporalis præscriptio circa dominij adquisitionem maximè distant. c. 1. §. 1. & §. 2.
- Vfucapio in duodecim tabul. iure originem cōstat habuisse. c. 1. §. 1. n. 6.
- Vfucapionibus dies inceptus habetur pro completo. cap. 1. §. 1. num. 9.
- Vfucapio, & temporalis præscriptio diuersis ex causis introductæ fuere. c. 1. §. 3. n. 15.
- Vfucapio aduersus illos, qui in integrum restitui solent, procedit; secus in temporali præscriptione. c. 1. §. 4. num. 16.
- Vfucapio per litis contestationem interrumpitur, præscriptio temporalis non. c. 1. §. 6. n. 19.
- Vfucapio non habet locū in rebus incorporalibus, temporalis præscriptio etiam. c. 1. §. 7. nu. 20.
- Vfucapio quam immutationem habuisset per. l. vnicam. C. de vfucap. transform. c. 1. §. 10. n. 36.
- Vfucapio, & temporalis præscriptio in eo maximè differūt, quod in vfucapione titulus postulatur, & bona

## INDEX,

bona fides; in præscriptione titulo opus non est,  
sed bona fides sufficit. c. 1. §. 9. n. 31.

Vsufuctus non vlu capitur. c. 1. §. 7. num. 11.

Vsufuctus est ius à proprietate separatum. c. 4. n. 3.

Vsufuctus causalis & formalis distinctio ab anti-  
quis tradita refellitur. c. 4. n. 3.

Vsufuctus diuisionem recipit, vsus non. c. 6. nu. 6.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt vi-  
deans opera vestra bona, & glorificent Pa-  
trem vestrum, qui in cælis est.

Matthæi. c. 5.

## VALLISOLETI.

Excudebat Didacus Ferdinandus à Cor-  
duba, Typographus Regius.

Anno. 1579.

